~~G E~~
~~f.36.~~ ~~d a 3~~

G.f.36

VITA PETRI FABRI,

QVI PRIMVS FVIT SOCIORVM B. IGNATII Loiolæ Societatis IESV.

CONSCRIPTA A NICOLAO Orlandino ex eadem Societate.

***

ALESSANDRINA



LVGDVNI,
Sumptibus PETRI RIGAVD, in vico Mercatorio ſub ſigno Fortunæ.

M. DC. XVII.
Cum Priuilegio Regis & Approbatione Doctorum.

REVERENDISSIMO DOMINO, D. FRANCISCO DE SALES, EPISCOPO ET PRINcipi Gebennenſi, F.

C*VM iam tot annos ſpiritale Tabernaculum , Templumque Deo præpotenti ædifices, ingenio, doctrina, pietate ; Et, vt cũ Vincentio Lirinenſi loquar*, pretioſas diuini dogmatis gẽmas exculpas, fideliter coaptes, adornes ſapienter, adijcias *ſplendorem, gratiam, venuſtatẽ: Quid accidere tibi iucundiùs ad gratiam, vel opportunius ad operã poteſt*, FABRO? *Et hoc Fabro qui omnes ædificij ſanctioris numeros, non percalleat modo, ſed ipſe ſit amuſſis & norma, ipſe* Sacrarium *locuples, ipſe Tabernaculi abſolutiſſimi exemplar, nec aliud operæpretium, quàm operæ*

ſuæ vſum deſideret? Enimuerò ſi Moſes Beſeleelē vt optimum munus è cælo miſſum exoſculatus eſt, ſi Solomon Hirami *Tyrij artem elaborandis columnis, vaſis fabricandis ornando Templo vniuerſo, tantoperè commendauit: Quam meritò quis auguretur, eius aduentum pergratum perque iucundum tibi fore, qui non columnas modo cælare, aliamque ſupellectilem, exemplorum opere antiquo locupletare, ſed marmoris, auri, gemmarumque vim, immanem, vt Euangelus alius, ad ædificandum afferre poſſit.* Haud *ſanè facile dixerim, lubentiùſne ad te velut Myſtam & Moſem ſuum ille proficiſcatur, an eum tu velut Beſeleelem aliquem gratius amplexaturus ſis, habiturusve honorificentius; Præcipio iam animo & cogitatione ſtructuram ædificij, ſplendorem operis, ornatum Templi, oraculi deſcriptionem; in quam tanti Antiſtitis mens, tantique Fabri manus, vniuerſis artis & induſtriæ machinis incubuerint. Sanè*

quan

quantum de hoc Fabro ſperare debeas, vt omittam priuata iudicia. Teſtis eſt Gallia ſtudiorum Fabri nutrix, & Gerula, in qua primũ cum parente Societatis Ignatio myſticam Tabernaculi Diuini arcam exaſciauit; Teſtis Italia cuius in vrbibus præcipuis, quà Sodalitatibus inaugurandis, quà concionibus habendis, quà pietatis diſciplina tradenda, quot hominum pectora Deo dedicauit, tot templa ſanctiſsimis religionib. initiata, eſt architectatus; Teſtis Germania, cuius collapſam propè Eccleſiam, vt Atlas cælum humeris excepit ſuis, fundatiſsimæque doctrinæ, & morum cæleſtiſſimorum columnis ſuſtentauit: Teſtis etiam Hiſpania, cuius Templa, tot gemmis, quot moribus, tot ſimulacris, quot præceptis, tot aris, quot exemplis virtutum & ſanctitatis oraculis nobilitauit: Teſtis denique totius orbis Orbis Roma, in qua, vt cum Nyſſeno loquar, Tabernaculum, in quo Deus habitaret vniuſcuiuſque animam ſermone efficiebat.

In funebri ſacti Baſilij.

columnas, hoc eſt rationes & cogitationes, quæ laboribus oppreſſam virtutem ſufful-cirent, erigebat: pelues ad animas eluen-das, ſacramentorum crebritatem introdu-cebat, candelabra, doctrinæ lumine, accen-debat, cor denique mortalium penè om-nium, arcam legi Diuinæ comprehenden-dæ fingebat, ne quid de Sacerdotibus di-cam, in quorum pectoribus auguſtiſſimum ornatum ἀληθείας καὶ δηλώσεως colloca-bat. Aunumeretur & his teſtibus aliquā-do Patria, tanti boni alumna & parens, fructumque de ſua quod aiunt arbore de-guſtet & decerpat. Næ paucis lineis, cum Fabrum rerum optimarum experietur, ſi modo operā quam offert, tui nominis titu-lo authoratam velis. Sapiens nimirum, abſolutiſſimi operis eſt artifex, bonæ ſcili-cet mentis, caſti pectoris, mundi cordis.

In cuius medij ſinu, & receſſu.
Templum conſtituit perenne
CHRISTO.

Prudent. Cathemer. *Quantus hic artifex & Faber? qui pieta-tis*

tis, continentiæ, ſimulachra pulcherrimã fingat, dedicet, qui exemplorum innumerabilium gemmis, exemplorum optimorũ torcumatis, amoris Diuiniſſimi obrizo mortalium animos, hoc eſt templa, in quibus Deus habitat, exornet; cui tamen Deo ſi tota terra in aurum, rupes, in gemmas, arbores in electrum, fontes in chryſtalla verterentur: Haud quamquam dignum ſuppedaneum, vel opifice natura vniuerſa elaborari poſſet. Fiet verò hic operis abſolutiſſimi effectus, virtutum exemplis, & vitæ norma, quam dum tenuit Faber, aliis velut in illuſtri poſitam monumento oſtẽdit. Huic operi ſi tui nominis fax, & lumen acceſſerit, In ſole erunt vniuerſa pulcherrimi Templi ſimulachra, nec vllus alius erit opus Encomiaſtes. Ac quia Theologo teſte, laus zelum parit, zelus virtutem, virtus beatitudinem: Huis operis præconio (quod ampliſſimum nuncupatio facit) tot eris virtutum parens & architectus, quot mortales imitatione tanti Fa-

In orationem de laud. S. Athanaſij.

bri domum pectoris ſui cæleſtium gratiarū colūmnis innixam Deo dedicabunt.

Plaut. in Moſtel.

Ædes quòm extemplò ſunt paratæ expolitæ
Factæ probè, examuſſim affabrè
Laudant Fabrum, atque ædes probant,
Inde exemplum petunt ſibi quiſque ſimile.

Dubium ſanè mihi non eſt, quin eodem euentu, quo Antonij vita Romam ab Athanaſio perlata, vita quoque Fabri tuis auſpiciis in orbem omnem tranſmiſſa excipiatur. Gratulaberis ergo tibi, hac nuncupatione tanto amplius, quanto laudes ampliores in Deum Opt. Max. redundabunt, nec non in patriam, cui olim gratulatus es plurimùm, quod duos Pharos Fabrum, & Iajum, mundo accendiſſet. Gratulabitur Faber ipſe ſibi, ſuum opus à tanto artifice probatum, operamque ſuam apud ſuos, vt & apud cæteros demum fœliciter collocatam. Gaudebo ipſe

fidem

fidem animumque meum, in te hoc argumento maxime conſtitiſſe: In quo cum me plurima delectant, tum illud maximè, quod liceat in illo velut ſpeculo lucidiſſimo quamplurimas virtutum tuarum imagines intueri. Vale.

Celſitudinis V. ſeruus addictiſſimus

PETRVS RIGAVD.

PETRI FABRI VITÆ LIBER PRIOR.

PROOEMIVM.

Vtile ſeruis Dei adnotare ſuos in pietate progreſſus.

ATtentis cultoribus pietatis apprimè laudabilis mos eſt animi ſui varios motus nō obſeruare modo diligenter, ſed ſcripto etiam in dies ſingulos adnotare. Nam quemadmodum ſiue ad tuendam rem familiarem, ſiue ad augendam plurimum refert tabulas accuratè conficere, ita perutile eſt in arduo virtutis, grauiſſimoq; negótio quotidiana quaſi lucra, ac detrimenta animaduertere: atque eorum etiam literis cuſtodire memoriam. Valet quippe ea cura vehementer ad vigilantiam excitandam, & ſui cuiq; in-

generãdam cognitionem,dum perſcribendi ſolicitudo ſtudium acuit obſeruandi. Valet ad gratum animum,dum Dei munera & excipiuntur,& conſeruantur attentius.Fouet eadem pios ſenſus: nec ſinit pariter cum breui guſtu euaneſcere, ſed quaſi ad progignendam frugem ſedulò recondit,ac conſerit. Quorum poſtea recognitio pro humanæ vitæ viciſſitudine, nunc ſolatium, interdùm pudorem; ſemper vtiliſſimam æque, ac iucundiſſimã præbet comparandi præſentia cum præteritis tempora facultatem. Ad hæc priuata commoda illud acceſſit diuino conſilio publicum ſæpè emolumentum; vt commentariis illis famulorũ Dei tandem vulgatis,præclara virtutum exempla Chriſtianus populus haberet ad incitamentum:& diſciplinam & eo quidem vtilius, quo plures ad res,& vſu frequentiores exempla inde

de ſuppeditantur. Cùm enim de virtutibus diſputatio laudabilior, & opportunior eò ſit, quò magis ad ſingulares actiones & propria cuiuſque officij præcepta, vt ſapientes docent, porrigit ſe ſe; item narrationes neceſſe eſt tanto vſibus hominũ magis accommodatas eſſe, quanto nõ ſolùm ampliora, ſed etiam plura actionum genera imitatione digna complectantur. Quæ fuit cauſa cur Xenophon non tam Hiſtoriam, vt pleriſque videtur, quàm fabulam ſcriberet, dum regiam in Cyro perſonam per omnes ætatum, & munerum gradus vndequaque informat. Verùm in Republica Chriſti cæleſtium fœcunda virtutum, multæ nõ deſunt veræ, abſolutæq; in quouis ordine perſonarum effigies, quas pro exemplo Fideles in ſuo quiſque genere, intueãtur; quaſque vt verbis vtar Ambroſij, votis ſuis Philoſophia

l. pri. de Abrahã.

phia

phia non potuerit æquare: vt maior ſit ambitioſo eloquentiæ mendacio ſimplex veritatis fides. Quo in numero & Petri Fabri vita merito reponatur. Is è primis B. Ignatij ſociis, atque adeò primus, ſanctorum illam in animi ſui obſeruatione imitatus ſedulitatem, dum pio ſtudio priuati ſui profectus, præcipua ſibi conceſſa diuinitùs lumina, & inſtinctus in libellum refert, egregiã nobis, quanquam id minimè ageret, Euangelici operarij formã reliquit. Ex his ferè commentariis vita contexta eſt: quæ cum principio in primam Societatis Ieſu Hiſtoriarum partem illigata eſſet, de virorum prudentium ſentẽtia inde exempta, & propter ingentes, quas pollicebatur vtilitates, paruo comprehenſa volumine, vt operariis Euangelicis facile ad manum ſit, euulgatur. Erit igitur, vt ſpes eſt, cum ceteris omnibus

Vnde vita Fabri compoſita.

bus ſiue ad virtutis admirationem, ſiuè ad imitationẽ vſui, tum iis præcipuè, qui ſalubriter in Domini vinea excolenda verſari velint. Quiquidem ſtudium hìc diuinæ gloriæ, ſitim animarum, ærumnarũ ſuſceptionem, curam, ſolertiamque intuebuntur. Sed antè omnia oculos velim intendant in perpetuam illam eius viri inter medios cœtus mortalium conuerſationem in cœlo: vnde & vim ad labores ducebat, & ad affectum felicitatem.

APPROBATIO.

IOannes Claudius Deville in ſacra Theologia Magiſter, in ſancti Pauli Lugdunenſis Canonicus, & in hac dioeceſis à Domino Dionyſio Simone de Marquemont illuſtriſſimo & reuerendiſſimo Archiepiſcopo Lugdunenſi, Librorum Cenſor deſignatus; fidem facimus, Nos *Vitam Petri Fabri qui primus fuis Sociorum B. Ignatij Loiolæ Societatis Ieſu fundatoris, conſcriptã à Nicolao Orlandino ex eadem Societate* legiſſe: nihilque Catholicę & Romanę fidei cõtrariũ, quinimò omnia ad fidelium mentes ſingulari pietate imbuendas vel mirificè conducere, viſum nobis Lugduni apud S. Paulum. Idib. Februariis. M. DC. XVII.

DEVILLE.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis Ieſu, in Prouincia Lugdunenſi.

BArtholomæus Iaquinotius, Prouincialis Societatis Ieſu in Prouincia Lugdunenſi. Iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis HENRICO III. 10 Maij 1583. HENRICO IV. 20 Decembris, 1606. & LVDOVICO XIII. nunc regnãte. 14. febr 1611. cõceſſum; quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne Libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque ſuperiorum eiuſdem Societatis permiſſu imprimãt, permittit Petro Rigaud Lugdunẽſi Bibliopolæ vt Vitam Petri Fabri qui primus fuit Sociorũ B. Ignatij Loiolæ Societatis Ieſu, conſcriptam à Nicolao Orlandino ex eadem Societate ad ſex proximos annos imprimere ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni die. ij. Maij. 1617.

BARTHOLOMÆVS
Iaquinotius.

PETRVS FABER Geneuenſis.
primus B. P. IGNATII Socius.

Elegit Dominus Seruum Suum, et de poſt fœtantes accepit eum. Pſal. 77.



Obijt Romæ 1. Auguſti. 1546. Ætat.ᵉ an.ⁱ 40.

Paſtor, Virgo, Pius, pauit, domuit, coluitqꝫ,
Fronde, fame, uotis, agmina, membra, Deum.

Colleg. Lugdunens. Societatis Ieſu. . D D.

PETRI FABRI VITÆ,

LIBER PRIOR.

CAPVT I.

Ortus, & educatio Fabri.

PETRVS FABER Ignatij Loiolæ, qui Societatē IESV fundauit, ſociorum primus, anno poſt Chriſtum natum 1506. ortus eſt inter Paſchæ ſolemnia, in oppido Allobrogum Villareto. Id oppidum eſt in ea regione, cui Magna Bornādus eſt nomen, in Gebenenſi diœceſi, quam ea tempeſtate haud dum errorum lues infecerat. Parentes habuit Chriſtiana magis virtute, quàm ſeculi claritate nobiles, earumque facultatum (quod in diuinis beneficiis iure ipſe connumerat) per quas, literarum in ſtudiis ali ſuſtentariq; poſſet. Horum pia inſtitutione, & ſingulari numinis clementia vix ſeptennis ſentire cœpit cæle-

Fabri patria Villaretum in Allobrogibus.

Fabri in prima ætate ardor & pietatis, & literarum.

ſtes afflatus,& interiorem ad ſtudia pietatis impulſum; præuenientis gratiæ minimè obſcura documenta:vt iam tum videretur Dominus,ac ſponſus ęternus puram illam, ac ſimplicem animam vindicare ſibi, atque adiungere voluiſſe. Sub annum deinceps ætatis decimum in paſtoritia vita verſantem flagrantiſſimus literarum ardor inuaſit:qui aſſiduè perurens, neque dies conquieſcere, neque noctes ſinebat. Itaque perpetuis gemitibus, & lacrymis coëgit demum parentes, vt ſinerent ſe ad ſtudia honeſtiora tranſire. Iam & diuina benignitas peridoneum alumno ſuo ludimagiſtrum prouiderat Petrũ Veliardum, virum vita, moribuſque tam ſanctis, vt Faber ipſe eum, poſteaquam deceſſerat, nunquam dubitarit tanquam vnum aliquem de celeſtibus inuocare. Is non tam ſui alendi gratia,paupertate cogẽte,quàm vt alimenta pietatis ſuis auditoribus ſuppeditaret,ludimagiſter fuit. Omnes quippe Poëtas, Scriptoreſque profanos, Euangelicos, vt Faber loquitur, faciebat. Omnia ad exædificandam in timore Domini iuuentutem accommodabat;vt,vnde magiſtrorum non pauci perniciem, periculumque ſuis diſcipulis ferunt, inde ille ſalutem,

Petrus Veliardus Fabri magiſter memorã de virtatis.

ſalutem,& morum diſciplinam compararet. Vir planè dignus,quem cęteri ludimagiſtri, doctoreſquè ad imitãdum ſibi proponant. Itaque adoleſcebat in animis teneris eo docente cum ætatibus flos pietatis, & Fabri ſemina mirificè iam excreuerant, cum duodecimum iam fermè annũ ætatis agens, ſolito vehementiùs virtutis amore,diuinique ſeruitij cœpit ardere Igitur feriato ab literis die(per quæ tempora repetere iubebatur interdum paſtoralia munera)egreſſus in agrum,dum in ea ſolitudine cœleſtis ſponſus ad eius cor loquitur,liberoque,ac patenti cœlo,vt olim vetuſtis Patribus, aura Sancti ſpiritus ſimplici menti ſe infundit vberius, vniuerſorum Domino ſe ſe totum vouenda, & cõſecranda caſtitate dicauit. Cuius voti ſoluendi vim, facultatemque ſuppeditatam à Deo,adiuuabat etiã,& augebat ingẽs,& penè immoderatus ardor ad ſtudia literarum, quem multis ſcribit frænũ fuiſſe delictis. Idem fuit etiam excellentis, quam poſtea conſecutus eſt,ſanctitatis occaſio.

Faber duodecimo ætatis anno caſtitatem vouet.

Diſcendi ardor vtilis ad mores.

CAPVT II.

Pariſios diſcendi ſtudio concedit, & Ignatio ſe ſe regendum tradit.

NAmque ſub annum ætatis vndeuigeſimum altiorum diſciplinarum cupidine, quarum copia nulla offerebatur in patria, Lutetiam Pariſiorum conceſſit, propinquis etiamnum ægrè volẽtibus, ſed vt faciliùs veniam darent, tum ingenij ad comprehendenda quæ doceretur è liberalibus diſciplinis, tum memoriæ ad retinenda ſupra condiſcipulos mira vis impulit: quodque alioqui ad ſęculi negotia, & ignobiliores artes minus videbatur idoneus; Ac ſanè non rarò euenit, vt quorum indoles ad præſtantia fertur, ijs ad domeſticæ procurationis vſus, quaſi habilitas deſit, ſiue re ipſa ita ſit, tanquam intelligi velit natura ad majora factos: ſiue eminens ingenij vigor, neſciat humiliora tractare quæ dedignetur. Faber Lutetiæ in ſãctæ Barbaræ collegiũ aditu inuento ſub Doctore Ioanne Penna, qui deinde Medicus nõ ignobilis fuit, Philoſophiæ operam dedit ſingulari progreſſu, vt Penna ipſe in Ariſtotelis obſcurioribus locis interpretãdis neminem ſe diceret inuenire, qui rẽ accuratiùs pręſertim è gręco idiomate enuclearet. Eò demùm honeſtius abſoluto ſolemni curriculo, cùm annum ætatis tertium & vigeſimum ageret, Magiſtri

Fabri in Philoſophia ſingularis profectus.

giſtri laurea donatus eſt. Eodem anno, qui ſęculi eius, erat vndetrigeſimus, in Collegium idem ſanctæ Barbaræ, cum Philoſophiæ doctrinam Penna idem auſpicaretur, operam ei daturus receptus Ignatius eſt. Deoque ita res admirabili ſuæ prouidentiæ conſilio temperante, non modo Franciſcum Xauerium, eum qui poſtea Societatem noſtram primus in Indiam, primuſque in Iaponiam Chriſti fidem inuexit, & Petrum Fabrum, de quo narrare inſtituimus cõtubernales habuit; ſed etiam Fabro commendatus à Penna eſt, cum quo Philoſophicas ſcholas retractaret. Angebatur iamdudum Faber ex admiſſis imbecilliore in ætate noxis angore conſcientiæ; nec viam reperiebat, qua ſcrupulos penitus animo inhęrentes euelleret. Num ritè ſatiſque dolenter in confeſſionibus explicaſſet ambigebat: quibus ſe vt liberaret aculeis, nullam ſolicitudinẽ, nullam recuſaturus erat vitæ acerbitatem: Ignatius autem maturè ſenſit iuuenis indolem, quantũque Eccleſiæ Dei, & Chriſtianæ reip. ſi rectè percoleretur, poſſet frugis educere. Hoc impenſius in eius ſe inſinuare animũ ſtuduit, & ſubſidiis quoque ad leuandam inopiam opportunis officio-

Cõciliatur Ignatio, & Franciſco Xauerio.

Angitur ſcrupulis conſcientiæ.

ſe demereri. Quare paulatim vſu ipſo creſcente qui pectus hominis in dies aperit, & intimos cuiuſque prodit affectus, adeò etiam creſcere animorum cœpit ipſa coniunctio, mutuaque inter ſeſe fiducia, vt admirabili cõcordię bono, & tranquilliſſimę vitę fructu perbeatus ſibi videretur vterque dũ alter in altero ſe viciſſim ipsũ quodãmodo contemplatur. Verùm Deus id quod ſpectabat in Fabro maturans, auxit illi & opinionem de Ignatij virtute, & in eundem beneuolentiam: cuius candoris integritatem, alienę ſalutis amorem, tenoremque vitæ omnis admirans, ſtudio ſanctæ æmulationis accenſus, induxit in animum eò laudabilius inſtituere vitæ curſum, quo acriora ſub aſpectum verſabantur exempla: ſimulque Ignatij ope, ſolicitudinũ aculeos ſcrupuloſque qui dies, ac noctes animum exedebant, auellere. Fractis igitur vitioſæ verecundiæ repagulis nõ dubitauit ex humanæ ſapiẽtiæ magiſtro, fieri Ignatio in diuina diſcipulus. Nihil tum ex Ignatij voluntate magis: nec abnuit pius Pater magiſterij prouinciam, quẽ talis diſcipuli incitabat alacritas. Verũtamen diſſimulabis ſuis de Fabro cõnſiliis docuit illum primum cor ſuum ponere

Tradit ſe Ignatio in diſciplinam pietatis.

ſuper

ſuper vias ſuas,& ſcrupulorum naturam, & diaboli tentationes dignoſcere ; item quotidiana ſui pectoris diſcuſſione in ſua dicta, facta & cogitata, diligenter inquirere, deinde ſemel vniuerſæ quàm acuratiſſimè, deinceps autem octauo quoque die quotidianæ vitæ confiteri peccata, & Chriſti corporis renouare myſterium, ſic edoctum, atque inſtitutum committendum de cætero meliori Magiſtro Deo, potius quàm in eo diutiùs elaborandum putauit. Quem quantum diuina prouexerit inſtitutio, declarauit euentus. Quippe vix paululùm commonſtrata præceſſerat via, cum vergere toto cœpit animi nutu ad inſtituta Magiſtri. *Quæ prima Rudimenta Fabro Ignatius adbibuerit.*

CAPVT III.

Statuit ſequi Ignatium in toto vitæ genere.

SVb annum ætatis quintum, atque vigeſimum penitus decreuit Ignatio totum dedere ſeſe, eiuſque diſciplinam in paupere vita ſectari, nihil habens aliud moræ, quàm vt Theologicæ ſcientiæ finem imponeret, geminum ex ea deliberatione commodum nactus eſt : alte-

Trãquillitas animi ex propoſito Ignacij ſequendi.

rum, quod elanguëre ſolicitudines illæ, quæ conſiſtere ſine iactatione animum, non ſinebant; & ſuos excutere cœperunt aculeos: alterum quod antea penderet animo, quænam ſibi perſequenda via eſſet quæ capeſſenda vitæ forma, nunc ad popularem vitam, nunc ad ſacerdotalem, nunc etiam ad religioſam, prout pręſens commouebat ſpecies, temerè inclinans, poſtea omnis dubitationis diſcuſſa caligine, fixaque in diuinæ laudis ſtudio mente, totum ſe Theologiæ perſequendæ dicauit. Vbi actionem virtutis cum mentis agitatione coniungens, non modo ſanctitatis, doctrinæque famam, quod non agebat, verũ etiam maiorem & Dei, & ſui-ipſius notitiam, id quod agebat, adeptus eſt; ac protinus tanquàm vrgendo olim totis viribus præludens operi, venari Chriſto animas aggreſſus, haud paucos in amabiles Chriſti caſſes adduxit. Plurimum quoque & ipſe è Franciſci Xauerij, vbi maxime is in eiuſdem vitæ conſilia venit, conſuetudine profecit. Theologiæ ſpatijs iam prope confectis excurrit in patriam, domeſticos ſupremum ſalutaturus. Mater iam vixerat, ſupererat Pater. Quem vbi cum propinquis cæteris ad virtutis, æternorumque

Inde etiã profectus in vera ſapientia & zelo animarum.

norumque

norumque bonorum amorem incendit, Lutetiam octauo menſe repetijt: ac ſubinde ad exercitationes ſpiritus, quas de Ignatij conſilio huc vſque diſtulerat, animum appulit, voluntate liberaliſſima ſtudioque inexplebili Deo placēdi. Tempeſtas erat perfrigida, cum Sequana fluuius qui Pariſios interfluit, aquilonibus ita induxerat, vt altiſſima glacies tutum plauſtris, & quadrigarū curſibus præberet iter. Sed cum rigerent omnia vnus ipſe flagrans ſpiritu Dei, paratis ſibi ad commentandum locis in apertum prodibat atrium alta niue conſtratum: vbi in diuinarum rerum contemplatione dum deſtinatas explet horas rigidus permanebat. Reuerſus in cubiculum nullis ignium fomentis algens corpuſculum refouebat; nec ſane vnquam apud incluſum, candens carbo reſplenduit. Erat quidem repoſitus in angulo carbonum aceruus, quos foculo imponeret, ſed eis ſternebat humum ad capiendum ſomnum: & id erat illi cubile: in eoque nocturno frigore, compungentique carbone ſolo ſe verſabat induſio. Vt autem ex interuallo eum reuiſit Ignatius, argumentatus ex ore, labijſque, vt experienti viro mos erat, enorme iejunium,

Reuerſus Lutetiā

Mira animi excelſitate exercitia ſpiritualia ſuſcipit.

quod nec diffiteri Faber ipſe potuit (ſex enim ipſos dies ſine vllo cibo, potuque traduxerat) Non crediderim inquit, aliquid in hoc peccatum: quin etiam ſic exiſtimo plurimum te hoc ieiunio commeruiſſe apud Deum: verùm tracturuſne ſis longius, an hic terminaturus inediam, tantiſper expecta, dum hinc diggreſſus poſt horam ad te recurro. Optabat Ignatius, vt eam ieiunij metam, quam ipſe quondam attigerat dierum octo, quando tam propè aberat, Faber attingeret; idcirco ad conſulendum Deum in proximam diſceſſit ædem, & poſt horam reuerſus ad Fabrum progredi in ieiunio longius vetuit, Tum & cibum, & ignem afferri iuſsit, vt hominem reficeret, ac recrearet, longius etiam producturum inediam, ſi permiſiſſet Ignatius. Ex hac inedia ſeu potius ex hac altitudine pectoris, & fame iuſtitiæ illum præ cæteris cõſequutus eſt fructum, quod cum ſæpe ante gulæ vexaretur illecebris, nec ſuccurrere neceſsitati naturæ niſi inter ſcrupulorum moleſtias poſſet, magnam exinde in re adeo ancipiti temperanda tranquillitatem adeptus eſt. Nimirum illa ſolennis eſt ſiue Dei liberalitas, ſiue præſtantium conatuum vis, quod obſer

Sex ipſos dies ſine omni cibo, potuq́ traduxit

obſeruare paſſim in ſanctorum licet hiſtoriis, vt vel vna actio virtutis præcellens, ipſam inſerat menti virtutem, promptamque in omne reliquum tempus ad eius vſum præbeat facultatem.

CAPVT IIII.

Factus Sacerdos primos Patres ſecundùm Ignatium, plurimum iuuat.

EAdem inter exercitia conſulto plurimum Deo ſuſcipere ſacerdotium ſtatuit: ac ſubinde cum ſuſcepiſſet, eo maxime lætus, quod nulla ad verenda illa myſteria ſui compendij, aut honoris, ſed ſolùm diuinæ laudis, ſalutiſque animarum cupiditas impuliſſet, in B Mariæ Magdalenæ patronæ ſuæ feriis ſacroſanctas primitias obtulit. Annus voluebatur ſeculi quartus ſupra trigeſimum: iamque Ignatius ad conſiliorum ſuorum ſocietatem præter Fabrum, atque Xauerium, Iacobũ quoque Lainium, Alfõſum Salmeronem, Simonem Rodericium, & Nicolaum Bobadillam adiunxerat, cum maturum viſum eſt horum omnium religionis aliquo nexu communire cõſtantiam. Itaque omnes in Montem Martyrum (ædes eſt Deiparæ

Fit Sacerdos ſolum animo magis placendi Deo.

Prima ſua vota primi Societatis Patres, Fabro ſacris operante ſuſcipiunt.

paræ admodum religioſa propè Pariſios) in aſsũptæ Virginis ſolenniis contentione, ac pietate magna cõueniunt. Vnicus in eo numero ſacerdos erat Faber: Eo ſacris operante, ſua quiſque vota clara voce, cõceptaque verborum forma ſuſcepit, ac protinus diuina impertiti ſunt Hoſtia. Quam Faber vbi cum ſuo, & ſociorum pietatis ſenſu dulciſsimo diſtribuit, reuerſus ad aram, priuſquam Domini ſacramẽta ſuſciperet, ſua & ipſe vota nuncupauit. Summa erat, vt in paupertate, & caſtitate perpetua operam ſubleuandis animis dedicarent: ſique tranſmiſsio daretur, pariter nauigarent in Palæſtinam; ſin minus, poſtquam annum nauigationis facultatem expectaſſent, totos ſe Põtificis ſummi voluntati permitterent. Hæc fuere prima Societatis IESV quaſi lineamenta, hi primi nexus, cum ſingulari ob præſtantiſsimum ſacerdotij miniſterium Fabri prærogatiua.

Ignatius in Hiſpaniam diſcedens Socios Fabro commendat.

Eodem anno inſequenti Ignatius in Hiſpaniam diſcedens, vt cuius fidei, virtutique longé plurimum tribuebat, cæteros ſocios commendauit, hortatus eſt, vt hominem pro ſacerdotij dignitate, ac vocationis antiquitate loco Patris agnoſcerẽt: quod pro viri merito, cognitaque virtute

ſuapte

ſuapte ſponte oppido faciebant. Diſceſſit Ignatius condicta die, ad quem Venetias ipſe ex Hiſpania, illi ex Gallia occurrerēt, ſuſcepta vota perſequuturi. At Faber profecto Ignatio hoc impenſius, quod ſtudiorum abſoluto curriculo curarum magna parte defunctus erat, hoc etiam efficacius, quod cum doctrinæ, tum virtutis egregiæ opinionem collegerat, dedit operam continenter, vt & commiſſos ſibi ſodales partim prudentiæ ſubſidijs, partim morum ſuauitate tueretur, & inſtar optimi Negotiatoris, Dei talenta multiplicans, pereuntes paſſim animas cunctis opibus ſubleuaret; his à peccandi conſuetudine reuocandis, illis excitandis ad virtutis amorem, multis etiam ad res deſpiciēdas humanas & quærendas intra religionis clauſtra diuinas alliciendis. Denique ita ſe tractauit vbique, vt qualis, & quantus ex Ignatij ſinu, ac diſciplina prodiret, palàm omnibus declararet, cuius vt in vitæ genere ſocius, ita in ſociorum primorum explēdo numero particeps fuit. Eius quippe monitis, & exemplis duo iam Theologiæ magiſterio nobiles Iohannes Codurius Ebredunenſis, & Paſcaſius Broetus Piccardus, qui item Sacerdos erat ad alios ſeptem aggrega

Faber Codurium & Paſchaſium Broetum ambos è primis decem Societati adiungit

gregauere ſeſe. Nec ſatis conſtat, num Claudius quoque Iajus ad Societatem poſt Ignatij Lutetia profectum acceſſerit, ita numero & animis aucti ex condicto ad Ignatium Venetias perrecturi Pariſiis abiere.

CAPVT V.

Peregrinationes Fabri Pariſijs Venetias inde Roma, ac Venetias rurſum, & aliæ.

Multi conantur Fabrum retinere Pariſiis.

NOn pauci perægrè tulerunt Fabri diſceſſum. Fuitque doctor pius, & literarum opinione nobilis, qui capitalem affirmabat ab eo ſuſcipi fraudem, ſi Pariſiis, vbi tam multis, minimè dubiam ſalutis opem afferet, eo ſolùm verteret, vbi in incerta aliorum ſalute ſuam operam collocaret. Ac ne temerè videretur id ab ſe dici, producturum ſe pollicebatur ex gymnaſio Pariſienſi Theologos omnes ſuæ ſententiæ grauiſſimos authores. Ignorabat videlicet bonus Doctor, Dei conſilia, quæ tametſi Fabri quoque fortaſſis opinionem ſuperabant, tamen ita eius mentem ſuperna lux colluſtrarat, ac fixerat, vt de propoſiti ſanctitate, & ipſa Numinis voluntate neutiquam dubitaret: ingenti labore multiſque erepti periculis, cum per infeſta & bellis, & hæreſibus loca

& anni

& anni tempeſtate hyberna pedibus iter facerent, tandem Venetias ad amantiſſimum Patrem peruenere ſoſpites ſexto Idus Ianuarij, anno 1537; multa quoque diuinæ clementiæ documenta experti; quæ, quoniam vti fuere cum reliquis ſocijs communia, communis exequitur Hiſtoria, hoc loco neceſſe non eſt explicatius enarrare. Venetijs duobus diſpertiti Noſocomijs Euangelicæ rudimenta militiæ in ægrorum ſubleuandis animis pariter, atq; corporibus ponunt; Mox vbi ſe ver aperuit, relicto Venetiis Ignatio, cæteri nouem, vt Lutetia venerant, Romam pedites iter aggrediuntur, vti ius à Summo Pontifice, ijs qui initiati non erant ad Sacros ordines voluntariæ paupertatis nomine, & poteſtatem prædicandi Hieroſolymis, Euangelij ſupplices peterent. Multæ in hoc itinere ærumnæ exhauſtæ. Vbi verò Venetias remearunt, cæteris ad alia circa loca digreſſis in Apoſtolicum opus Ignatius Fabrum, & Lainium ſocios ſibi delegit. Cùm his Vicetiam ſe recepit, cum ijſdem poſtea Romam, vt ſe, ac ſocios reliquos Pontificis nutui traderet, quando in Paleſtinam nauigatio penitùs interclusa erat, migrauit, ijdem Romæ Pauli, Ter-

Faber cũ ſocijs Venetias peruenit, inde Romã abit.

Reuerſus Venetias ſecũ Ign. vna cum Lainio, Vicetiam moxq. Romam du-

citæ ubi docet in publica Academia. tij Pontificis iuſſu, in publico ſapientiæ gymnaſio ſacras literas profiteri exorſi, eaque prima vox hominum Societatis é ſella Doctorum audita eſt. Anno proximo, cœpit & ad populum dicere Faber cum Xauerio alternis in Baſilica ſancti Laurentij, cui à ſancto Damaſo conditore eſt nomen.

CAPVT VI.

Mittitur Parmam cum Lainio, vbi Diuinam rem optimè gerunt.

HIs peractis quaſi velitationibus, iamque fundandæ in perpetuum Societatis conſilio inito, anno 1539. iuſtam quodammodo in aciem proditum eſt. Ennio Philonardo Verulano Cardinali ſancti Angeli, cui legatio Parmenſis obuenerat, Faber itemque Lainius legationis comites, & rerum Diuinarum adminiſtri, à Pontifice dantur. Hi primum paucis aliquot in templo ſcholis, & ſacrarum literarum explanationibus, ſcientiæ opinione collecta, conciones deinde ſecundo curſu nec felici minus habuere ſucceſſu, declamabat concurſus multitudinis ad expianda peccata; quibus audiendis cum ſpatia diurna non eſſent ſatis, adiungebantur *Frequens reuocatur Sacramentorū vſus.*

ſæpe

ſæpe nocturna. Pari ſtudio etiam diuina mēſa celebrabatur; quæ res, vt ijs temporibus planè erat noua, non defuere qui pro concione tam crebram myſteriorum vſurpationem vitio verterent, quod ea res potius cōtemptum quemdam Sacramentorum, quam pietatis incrementum habere videretur. Haud tamen languidiora facta ſunt hominum ſtudia, ſegniórve myſteriorum vſus, cum apud optimū quemque valeat magis interioris experientia ſenſus, quàm cuiuſquam in diſſuadendo contentio: quanquam pro hac pietate ipſa morum cōmutatio loquebatur, eamq; aduerſus oblatrantium voces, ac morſus facilè vindicabat. Tantò autem magis hærebat in animis tradita diſciplina, quantò clariore loco erant, qui eam ſuis alebant exemplis. Non enim diuina illa myſteria infimi mediíque duntaxat, verumetiam ſummi, & ex prima nobilitate viri, fœminæque tractabant. Iulia erat Zerbina in Parcis, ſanctitatis fama percelebris, quā aiunt ad menſes aliquot nullis vitam epulis, niſi pane illo cœleſti, qui totum explet hominem, & quem qui accipit, nunquam eſurit, ſuſtētaſſe. Hæc in interiore domus ſuæ cubiculo, vbi ex aſſiduis ferè morbis, cor-

Iulia Zerbina pietas inſignis Parmæ.

poriſve langoribus decumbebat, Ignatij exercitationum, dictante confeſſario ſuo, quem Patres erudiebant, experta dulcedine, earum quoque vſum ventitantibus ad ſe Matronis impertiebat: & quæ virorum prudentiam,ſtudiumque deſiderant, vt cum vtilitate tradantur, eas fœmina fœminis toties iam præmeditatas, animoque pertractatas expeditè ſatis, vtiliterq; tradebat. Hanc in colendis ritè myſterijs Mirandulani comitis coniux magno cum mulierum matronarũque comitatu, quæ ſingulis item hebdomadis ea myſteria frequentabant, imitabatur. Et res erat eò progreſſa loci, teſte Fabro, vt nullo propemodum Parmæ numero duceretur,qui non ſingulis ſaltem menſibus Pœnitentiæ Sacramento peccatorum ſeſe vinculis expediret. Qui mos tota deinceps Parmenſi, ac Placentina Diœceſi plurimùm viguit. Rudibus Chriſtiana lex explicata: eodẽq; exemplo Ludimagiſtri, Sacerdoteſq; ad id excitati cõplures. Præclarè etiam illud excogitatum à Fabro, vt fœminæ interdum quædam, quas cum honeſtate grauitas commendabat, priuatorum obirent ædes, & Chriſtianæ pręcepta doctrinæ teneras puellarum ætates, & quas pudor aliáve cauſa domi incluſerat, edocerent.

Ratio quã plurimas puellas piè inſtituẽdi excogitata à Fabro.

Meditationes rerum diuinarum ad exercendum compluribus non modò viris, verùm etiam fœminis cum ſalute propoſitę, quas vt quiſque attentiſſimè pertractabat, ita cæteris non perſuadebat modò facillimè, ſed ipſemet ſtatim inſtitutor effectus ſedulò proponebat, vt interdum centum, & eo amplius eas vſurpaſſe, vno eodemq; tempore memorentur. Quin Parrochi Sacerdoteſque ex diſcipulis repẽte Magiſtri ad earum normã, Chriſtianæ plebis vitam, moréſque fingebant. Hinc magni vbique animorum motus, atque conuerſio, pręſertim in vno atq; altero ſacrarũ Virginũ cœnobio, quibus incredibilis quidã religioſæ perfectionis iniectus eſt ardor, in ijſque reuocata, quæ penè iam ceciderat diſciplina, ſed huius etiam præſidij non exigua ad Societatẽ ipſam nouæ ſobolis lucra rediere. Nam & Hieronymus Domeneccus Valẽtinæ metropolitanæ Eccleſiæ Canonicus, cùm Lutetiam Parma contenderet, caſuq; ad Patres, non Dei tamen ſine conſilio diuertiſſet, ab ijs comiter exceptus, & ad dies aliquot, piarũ rerũ commẽtatione exercitus, ad eorum ſocietatẽ ſe adiunxit: & Paulus Achylles iam tum Sacerdos, qui ſtrenuam proximis dare operam, & ſuppe-

Exercitiorũ ſpiritualium frequentia.

Multi & inſignes alumni ad Societatem adiuncti.

ditandis diuinæ contemplationis argumentis, & audiendis ſacris confeſſionibus continuò cœpit: & Elpidius Vgolettus: itemque Ioannes Baptiſta Viola, & Syluester Landinus, & alij, qui deinde multum & populorum ſaluti, & Societatis progreſſionibus commodarunt. Quin ex eadem cultura primus prodiit Societatis Martyr Antonius Criminalis: Nam & in alia circumiecta oppida, & Siſam Antonij patriam Faber excurrit, & faces intulit ex igne illo, quem cœlo delatum Filius Dei maxime cupit accendi. Ex eadem orta eſt Sacerdotum ſodalitas, quæ poſt Patrum quoque diſceſſum egregiè aluit, ſeruauitque excitatum ab ijs pietatis ardorem. Denique ex eadem cultura extitit Sodalitas altera laicorum, de qua mox plura, quæ maximam partem vni Fabro debentur: nam Lainius multum operæ, ac temporis Placentiæ, Plegiiſque conſumpſit. Parmæ autem ita Fabri vita, curæque probabantur, vt vbi primum eſt cognitum agere Paulum Tertium Pontificem Maximum de illo in terras alias mittendo; Et Ciuitas, & priuati, quibus fuiſſe dicitur aliqua cum ipſo Pontifice neceſſitudo, ſupplices ad eum literas pro retinendo

Conditæ à Fabro ſodalitates.

Parmēſiū de retinē-do Fabro ſtudia.

do homine dederint. Nec verò vberes adeo fructus famulo Dei paruo ſtetere. Nã tametſi incommoda omnia paupertatis amor, tum ſingulare patientiæ ſtudium leuia, imo etiam dulcia, ac iucunda reddebat; tamen, quia imbecillitas corporis par eſſe inuictæ animi charitati non potuit, ad cumulum meritorum acceſſit grauis, & longa valetudo. Aprili menſe anno 1540. é ſuſceptis laboribus in morbum delapſus trimeſtri ſpatio decubuit, non ſine magno eorum, qui cum ipſo egere ſui animi bono. Namque vt ſolet famulis ſuis Dominus æternus in tentatione propior adeſſe, notitias ei ſpiritualium rerum per id tẽpus multas, eximiaſq; largitus eſt.

Fabri morbus & in eo profectus.

CAPVT VII.

Præclara monita, quæ Faber Parma in Germaniam proficiſcens Sodalitati Charitatis reliquit.

VBi valetudinem confirmauit, cùm Pontifex in eo perſtaret, vt Petro Hortizio, Comes in Germaniã, atque inde in Hiſpaniam pergeret, ægréque omnes, ſed ij pręcipuè ſodales, qui ſub eius diſciplina interius ſtudia pietatis inierant, profectionem eam ferrent, his ille multum

rogatus hæc monita dedit. Nolo vos in hoc errore verſari, vt putetis alio egere vos cibo ad augendam pietatem, atque eo, quo vſi eſtis adhuc ad nutriendam: nec ſanè mens ſit alia, ac doctrina philoſophi, qui cum de corporum diſputat alimentis, docet ea, quæ ſunt alendis apta corporibus, valere etiam ad augenda. Ita cum ad alendam, fouendamque pietatem vſu iam veſtro ſenſeritis, plurimum huc vſque valuiſſe pia iſta munera, quæ tractatis, prorſus ſtatuatis oportet, eadem poſt hac vobis neceſſaria fore ad augendam: pręſertim cœleſti guſtando & frequentando pane, quod eſt pręcipuum animi pabulum; & quo Angeli, Beatique omnes continenter aluntur, magis vtique animorum vitæ, quàm noſter hic corporum, quem quotidie frangimus neceſſario. Quod ipſum de aliis pietatis ſtudijs, ac muneribus ſentiendum eſt; quale eſt quotidianæ ſuæ vitæ rationem ab ſe repetere, peccata confeſſione diluere, res Diuinas, ac ſalutares aſſidua cogitatione verſare; denique miſericordiæ officijs conſtanter inſiſtere. Quarũ rerum vſu, atque exercitatione, ſi quid eſt à nobis, aut in animi veſtri notitia aut in Dei, & hominum charitate profectum perſua

Nutrimentum pietatis pracipuũ, diuinus panis.

perſuaſiſſimum vobis eſſe debet, oportere in iiſdem vos officijs, muneribuſq;, quo magis in Chriſto creſcatis,ſtudijs adhuc ardentioribus contineri: Ratio porrò quotidianæ vitæ veſtræ talis eſſe poterit, ſingulis noctibus priuſquam quieti ſoporique vos dedatis, nixi genibus, quatuor illa cuiuſque nouiſſima recoletis, ſupremum vitæ diem, ſupremumque iudicium, inferorum ſupplicia, & Paradiſi gaudia, quibus in ſingulis contemplandis, conſiderandiſque tamdiu hærere vos volo, dum dominica ter recitetur oratio, ter Angelica ſalutatio. Poſtea ſuccedet obſeruatio pectoris veſtri,& totius recognitio diei, in qua poſt actas diuinæ liberalitati de beneficijs meritas gratias, peccata veſtra cum gemitu retractabitis, & ea ſtatuetis certo Sacerdoti, deſtinatóque tempore confiteri. Id autem genus eſt quoddam ſpiritualis confeſſionis, qua quis ſuis noxis animaduerſis, earum ſeſe inſimulat ante Deum iuſto dolore, & conſtantiſſima voluntate ſuſcepta eas ad præſtitutam diem Sacerdotibus enuntiandi. Ad extremum rogandus vobis eſt Deus, vt & vobis ipſis, & viuis omnibus noctem quietam

Ratio vitæ quotidianæ quo modo inſtituẽda.

atque tranquillam: mortuis verò qui ſuas maculas purgant ſolatij aliquid, & indulgentiæ largiatur: in eamque rem ter Dominicam precem, ter Angelicam recitabitis. Eaſdem & genere, & numero iterabitis poſtridie mane, vt & vos, cæteróſque viuos ab omni labe integros ea luce conſeruet, & mortuis refrigerationis aliquid tribuat ab ardoribus piacularis ignis. Si fuerit otium, licebit inſuper aliquid ex vita Chriſti, vel eius ante ſignum in cruce traiecti, vel Miſſarum inter ſolemnia tacitis mentibus retractare. Cuius ad exemplar idemtidem reſpectantes vitam veſtram, moréſque fingatis. Vbi ſacerdos Chriſti corpus ritè confecerit, aut excitatum ab ara ſublime populo præmonſtrarit, tum vos veſtris malis, morbiſque remedia, ea quæ optatis, dona petetis à Deo: vt robur animi, & cognitionem veſtri pectoris; vt mutuam fraternámque concordiam: quodque in ſummis numerandum eſt donis, famem, ſitimque iuſtitiæ. Rogabitis etiam ipſum Chriſti corpus, vt ſpiritali quadam communione ſui, haud abnuat tectum animæ veſtræ ſuccedere. Quo communionis genere incitabitur in vobis auiditas quæ-

dam

dam tanti myſterij, oblectantibus interim vos & proxime ſuſcepti memoria, & ſpe denuò ſuſcipiendi. Hæc communionis quotidianæ ratio, erit veluti quædam animi præparatio longè efficax ad ipſum ſacramentum corporis Domini; quemadmodum & ad ſacramentum Pœnitentiæ ſpiritalis illa, quam dixi confeſſio. Proinde venit in mentem optare, vt Chriſtianus quiſque multo ante præcipiat animo diem illum, quo & pectus ſuum expiare confeſſione decreuerit, & Chriſti Domini inire conuiuium. Ita vt quotidie mane ſimul ac de cubili ſurrexerit, ita ſe moneat, & alloquatur, Tali die ſacerdotis ad pedes, tali accedes ad Chriſti menſam: idque etiamſi forte longiùs ille dies abſit. Videte igitur ſingulis vt diebus memoriam vobis excitetis, ac refricetis huius ſacramenti, & ſuſcipiendi pariter, & ſuſcepti. Suſcepti quidem ad dimidiatum ſaltem ſpatium præſtituti temporis: ſuſcipiendi verò toto reliquo interuallo dierum: vt hac ratione planiſſimum fiat vereri vos, & horrere verenda illa, & ſacroſancta myſteria: ſecus enim periculum ſit, ne vel ægrè concoquatis, quod ore percipitis, vel non ſatis auidè ſuſcipiatis. Noli-

te vobis ipſi deeſſe, quominus octauo ſaltem quoque die hæc Sacramēta tractetis, & renouetis. Cætera verò pietatis officia, qualis eſt precatio, qualis piæ contēplationis exercitatio, & id genus alia. Videte vt fines illos, ſeu ſingulos, ſeu vniuerſos propoſitos habeāt. Primum Dei, & eius Sanctorum gloriam Deinde animi veſtri bonum, Tum cæterorum commodum animorum. Sic enim per ea, quæ dixi, munera quotidiana vobis fiet virtutis acceſſio, vt humilitatis, vt patientiæ, vt prudentiæ, & aliarum huiuſmodi rerum, atque virtutum, quibus paratiores in dies accedatis ad rectè agendum. Accedet etiam Dei notitia maior, & maior amor; cumulabitur in proximos charitas; & tuto denique ſalutis iter tenebitur, dum veluti per gradus vita ſpiritus ſic inſtituitur. Quòd autem ad huius & temporis, & corporis vitam pertinet, oportebit ita vos veſtra moderari conſilia, ſenſuſque omnes, vt ómnis labor corporis, ac contentio Dei laudem ſpectet, ſalutem animi veſtri, eorumque animorum, qui in iis ſunt incluſi corporibus, quibus vos laborem veſtrum, operamque nauatis. Studete igitur, vt primum Deus vos ad laborem, ſeu etiam ad

Quid intendendum ſit in actionibus noſtris.

Qua ratione res domeſtica temperāda.

quietem

quietem impellat: deinde ſalus animæ veſtræ: tum animæ proximorum: deinceps veſtri corporis incolumitas: poſtea incolumitas alieni; denique res familiaris, quæque ad vſus corporis, vitæque neceſſarios pertinere videantur, ne qua ſit ordinis perturbatio, ne qua confuſio. Nihil autem in his, quæ commemoraui, præpoſterum, perturbatumque erit, ſi res familiaris ſit famula corporis, corpus animi, animus Dei: quæſtuſque veſtri ad neceſſitatem corporum, corporum autem incolumitas ad animorum ſalutem, horum verò ſtudia ad æternæ legis regulam dirigantur. Ita ab hoc vltimo incohandum primum, & hic ordo ſeruandus officiorum, vt prima animis; cætera cæteris deinceps rebus pro animorum bono, commodoque debeantur. Nec imitandi enim ſunt ij, qui à re familiari, & ſuo corpore inchoandum putant, vt cum hæc verè conſtituerint, tum demùm ſe faciliùs rem conſtituturos animorum arbitrentur. Eademque ratione, quod ad proximos ſpectat, eorum prius animis, quoad eius fieri poterit, quàm veſtris corporibus prouidete: vt ſi in poteſtate ſit veſtra vno eodemque præſidio, & vos à morte corpo-

ris,

& illos à morte animæ vindicare, malitis vtique multis partibus huic periclitanti, quam illi ruenti, & iam cadenti ſuccurrere, ſi hic à vobis rerum ordo ſeruatur, facilè exiſtet ea, quam quæritis in inſtituto conſtantia, Hæc Faber. Sanè ea ſodalitas etiamnum viget, & ſexageſimum iam annum, & eo amplius Fabri præceptis ſeſe alit atque ſuſtẽtat. Ac progrediente die tantum roboris eſt adepta, vt eorum quoque patrociniũ ſuſceperit, quos & à mendicando deterret pudor, & inſcitia, ignorantiáque Diuinæ legis tenet, & quos carnifici, patibulóque leges addixerint, eadémque ſemper fuerit quaſi quædam procreatrix, ac parens plurimæ, variæque in ea vrbe pietatis, plurimæque item ſobolis, quæ ex communi, vulgaríque vita ad cænobiticam, religioſamque ſe transfert.

Sodalitas Charitatis Parmæ quæ opera pia tractet.

CAPVT VIII.

Primus de Societate Faber in Germaniam adit, & optimum eius ſpecimen edit.

HIs igitur prudentibus monitis, quaſi Vicarijs ſui Parmæ relictis Faber Hortiſium ſequutus, deque Societate primus Germaniam ingreſſurus diſceſſit.

Cauſa

Cauſa huiuſce profectionis ea fuit. Hortiſius, cum Romæ apud Pontificem Caroli Cæſaris in Matercerą eius cauſa, quã Henricus Octauus Angliæ Rex repudiarat, procurator fuiſſet, iamque reuocaretur in Hiſpaniam, Vvormatiam vſque iter exporrigere iuſſus eſt, quo Catholicorum, & Proteſtantium conuentus erat indictus, vt Catholicorum ſi qua poſſet ope iuuaret partes. Eam ob rem enixè petenti cum viæ ſolatium, animique ſui rector, tum conſiliorum, & rerum agendarum adiutor conceſſus eſt Faber. Nono Kalendas Nouembris Vvormatiam attigere: quo die Faber ſingulari Dei benignitate injectam ſibi mentem profitetur vt protinus inchoaret, & ad mortem vſq; perſequeretur inſignem quandam pietatis exercitationem. Ea erat, vt exordiens à Conceptione Chriſti Domini, ordinéque progrediens per ætatis eius gradus ad aſcenſum vſque in cœlum, quos ille inter mortales egerat dies, ſingulos in ſingulis horis Canonicis grata memoria reputaret vnde fieret vt pro omnibus denique ſigillatim, ac proprie venerationem debitam ac gratiarum actionẽ perſolueret. Idemq; in vita parentis ſanctiſſimæ factitaret: ſperans

Cauſa profectionis in Germaniam Fabri.

Vvormatiam peruenit.

Singulos vita Chriſti, & Deiparæ dies ad ſingulas horas canonicas recolere inſtituit.

rans quamquam longum eſſet negotium, vitam ſibi ad conficiendum affuturam. En quam ingenioſa eſt ad gratum animum, quamque laborioſa pietas verè diuina beneficia æſtimantium: en quàm ſperat omnia caritas. Vvormatiæ tametſi cum hereticis agendi poteſtas facta pro voluntate non eſt: nec propter factionis Lutheranæ perfidiam dignum aliquid agi potuit: nullo tamen loco gregi Catholico defuit. Multi perilluſtres viri, atque adeo Pōtificius ipſe Nuntius, Ioannes Moranus tum Mutinēſis Epiſcopus, paulo pòſt Cardinalis ad expiandis ritè noxas eo potiſſimùm vſi ſunt: compluresq; alij tum exercitiorum ſpiritualium, tum concionis ſacræ præſidio adeò animo commutati, vt ſicut ipſe primus Vineam illam colere de Societate cœpit, ita ei primos in Germaniā aditus videatur ipſa dediſſe Societas. Cæterùm vt animis liberalibus mira ſe bonitate diuinitas elargitur, ingentes in ſanctitate ſua proceſſus fecit; maximis repletus eſt è cœlo ſuauitatibus per ſanctiſſimæ Deiparæ patrociniū vberrima colluſtratus eſt luce ad excogitandas vias multiplices orandi, agēdique gratias Deo, & beneficia ſibi, atque alijs poſtulandi: cum

Multos ad pietatē Vvormatiæ informat.

cum ſtimulis vrgeretur acerrimus, vt pro Germania potiſſimùm, vbi ſummum religio diſcrimen adibat, preces effunderet. Vvormatienſi colloquio dimiſſo, Faber continuo ſpirans, hinc Ratiſbonam cum Caroli Curia ad Cæſareum cõcilium, vbi & Apoſtolicus legatus intererat, Gaſpar Contarenus, acceſſit. Quocumque autem veſtigium poſuit eundem ſe Fabrum præbuit, nauum videlicet hominem & operarium. inter hæc itinera maximè cœpit frequentare nobile imprimis, ac ſalutare, idemque perfacile orationis genus, quod deinceps potiùs aſſiduè auxit, quã vnquã intermiſit. Vt in loci cuiuſpiam, vel fines vel conſpectum, vel etiam ſermones venerat, ſublata in cœlum mente præcabatur, vt eius loci Archangelus, ac ſingulorum incolarum cuſtodes Angeli, ipſis boni ac propitij eſſent: ac multo magis vt verus Paſtor Ieſus Chriſtus, qui in eiuſdem loci templo degebat, gregem ſuum protegeret, ſingulorum adeſſet calamitatibus: peccato inhærentes, itemque moribundos atque animas defunctorum eiuſdem loci; quacumque demùm difficultate quauis, ſolicitudine, & angore preſſos iuuaret. Rogabat deinde vniuerſis bonorũ incremẽta gratias

Ratiſbonã adit.

Ratio ſãctiſſima, qua itinera peragebat.

Gratias agebat nomine eorum, qui facultates ibidem poſſidebant, quique beneficia alia acceperant, nec benigniſſimam Dei largitoris manum agnoſcebant: eorundemque nomine, & cæterorum peccantium veniam precabatur. Addebat inuocationem ſanctorum; quibus locorum eorundem aliquod patrocinium eſſet, vt ipſi quod neſcirent, aut negligerent incolæ, vel agendis gratijs, vel poſtulandis neceſſariis auxilijs, vel petenda venia, vice eorum exequerentur. Hiſce curis, & peregrinationem ſanctè, ſuauitérque obibat, & charitatem erga Deum ſimul, & proximos exercebat aſſiduè, alebátque: & in cœlo verſans parum caſibus attingebatur humanis, ac denique ad res bene proſperéque gerendas, vias ſibi vnde erat opus, aperiebat. Apud ciuitates, & oppida quà tranſibat, conferendis potius ſalutaribus Sacramentis, quæ in ijs maximè locis fidelem miniſtri operam requirebant, priuatíſque congreſſibus, quam concionibus agendum cenſuit. Ratisbonæ à Sabaudiæ Caroli Ducis filio, cuius in ditione patriam habebat, agnitus & in honore habitus, ad eius confeſſiones audiendas eligitur. In tanto autem Procerum, atque

Ratiſbona ſeminaiacit maximarum rei Catholicæ vtilitatum.

Aulicorum

numero, tantaq; nationum varietate vſq; adeò ſe vulgo probauit, vt ad eum vniuerſi, ac præcipue præſtantiſſimi quique viri, tanquam ad communem Patrem Germani, Itali, Hiſpanique concurrerẽt. Quo fiebat vt viri dignitate, doctrina, generis ſplẽdore nobiles, ſanctis meditationibus inſtituti, de corrigendis ſuis publiciſque moribus cogitarent: nonnullique meliores iã ſibi redditi, complures alios ad eandem meditandi rationem blanda cohortatione pellicerent. Ac Deus tantam vim famuli ſui Fabri conatibus dedit; adeò firmis diſciplina eius conſtabilita eſt fundamentis, vt qui ſemel illi tradidere ſe excolendos vel de peccatis confeſſi ſunt, ij numquam poſtea monita eius deſeruerint, aut caritatem, & obſeruantiam minuerint erga magiſtrum. Denique quicquid multos deinceps per annos ex vſu publicæ pietatis actum eſt in Germania, inde maximè, vt Faber ipſe profitetur, ſemẽ habuit. Feruere Ratisbonæ præ cæteris Doctor Cocbleus vir inſignis, ac prudens; qui non vulgari ſui animi bono eas commentationes expertus, gauiſuſque mirum in modum etiam affectuum reperiri magiſtros, quoſcunq; poterat, ad eandem commentandi

Semel vſi Fabri cõſuetudine vel magiſterio nũquam ab eius vel beneuolentia, vel diſciplina defecere.

normam aut exercebat ipſe per ſe, aut exercendos curabat à Fabro. Nec his cõtenta finibus Fabri charitas, ad abſentes, & longè poſitos excurrebat. Norimbergam ad moribundum Italum euocatus, non illi tantum prętò fuit, dum animam egit, verum etiam per eam occaſionem aberrantem à Chriſti caulis ouiculam ex eiuſdem familia adorſus partim terrendo, partim alliciendo ad Eccleſiæ ſepta reduxit; &, quod ſeptimum iam annum non fecerat, ad confitenda peccata: cuius exẽplum negotiatores ſequuti duo vagi & ipſi, palanteſque per hæreſum ſaltus ad eundem Chriſti gregem reuerterunt: Maurique item duo ad baptiſma perducti. Inter hæc de ſuo pariter vt ſemper ad perfectionem perenni curſu ſolicitus, nouos adhuc orãdi modos, precandique, & gratias agendi, ac veniam poſtulandi pro ſe proque alijs inuenit

Norimbergã ad moribundum excurrit: & multos ad Chriſtũ cõuertit.

Nouos orãdimodos & agendas Deo gratias excogitat.

CAPVT IX.

In creatione Præpoſiti Generalis ſecundum Ignatium Faber nominatur: & in Hiſpaniam pergit.

EOdem tempore Societatis res in Vrbe confirmabantur. Cum enim Religione

priore anno iuſtæ vim, autoritatemque religionis apoſtolico eſſe iudicio cõſequuta, per huius anni ver Generalis Præpoſitus ſuffragijs primorũ decem Patrum tum abſentium, tum præſentium creatus eſt. Qua in creatione, quanquam nulla dubitatio fuit, quin omnes nullo diſcrimine, magniſq; cum laudibus præferrent, qui ipſos conuocarat, Chriſtoq; educarat Ignatium; tamen quidam præſertim abſentium, qui plures ad incerta caſuum nominarant: ſi quid fortè eueniret, quamobrem eo munere fungi minus poſſet Ignatius, omnes Fabrum ei ſufficiebant. Ita Franciſcus Xauerius, ita Simon Rodericius, qui diſcedẽtes in Luſitaniã ſuffragia Romæ ſcripta reliquerãt: ita è præſentibus Ioannes Codurius; nec refragari poſſent ceteri, ſi proximum, quem præponerent, nominarent. Ipſe autem Faber ſecundùm Ignatium Xauerio ſuffragabatur. Qui dum totus frugifer Germaniæ oras pererrat, noua accipit ex Vrbe mandata, vt cum Hortizio in Hiſpaniam pergat. Accepit ille cæca obſequij alacritate quod mandabatur id vnum optans, ac rogans à Deo, vt quanto ſuæ peregrinationes ad gentes plures, atque Prouincias nouas corporis animique,

difficultates longius ac latius tenderentur, tanto magis anima ſua caritatis ſpatia, humilitatiſque & tolerãtię dilataret. Priùs tamen quàm Ratisbona ſe commoueat, quoniam cognouerat creato iam generali Præpoſito licere ſibi religioſum perficere holocauſtum, egregiè præparatus Profeſſionis vota ſolenni ritu nuncupat in æde Beatæ Mariæ, quæ Capella vetus dicitur, ad aram maximam, die ipſa Deiparæ Virginis Eliſabetham ſalutantis octaua: Votorumque formam, quæ etiã nũm in eius commentarijs apparet ſuo firmatam Chirographo ad Ignatium ritè dedit: Edidit ea vota ſumma & animi, & corporis deuotione, pietatiſque ſenſu prope incredibili. Nouæ exarſere animo faces, noua ſtudia perfectæ virtutis; nouum ſubijt pectori robur ad commoditates funditus abdicandas, iucunditateſque mortales ad humilitatem conſectandam impenſius, arbitriumque ſuum obedientiæ arbitrijs penitùs mancipandum. Ita editis votis ſuis, recentique hoc vegetus ſpiritu Iulio extremo diſceſſit. Iter faciebat more, inſtitutoque ſuo, quocumque pedem ferret, veſtigia relinquebat Apoſtolici viri: quaſcũque oras attingeret, precationibus bonis

Profeſſionis vota emittit.

Diſcedit in Hiſpaniam.

ſancti

ſanctificabat; multoq; maius cum Cælitibus, quorum loca memoriam renouarent, quàm cum incolis ipſis habebat commercium: atque vt illorum his opem implorabat, ita ſuam omni conatu per occaſionem omnem ferebat, quod plenius poſteriore volumine deſcribetur. Viæ erant impeditiſſimæ, & latrunculis, & militibus infeſtæ Itaque nec pericula, nec vincula defuere. In Gallia enim comprehenſus cum Hortizio, ceteriſque comitibus eſt, & cõiectus in carcerem, ſed vt vincula ſanctorum non raro ſunt ad liberationem vincientium, in ipſa quoque cuſtodia, quos iuuaret, & meliores redderet, Faber inuenit. Agere cum arcis Duce, & cuſtodibus cœpit, & faces identidem ſui admouere ſermonis, tanquam ſi vocatus ad id amicè, non captus hoſtiliter videretur. Itaq; Ducem ipſum militarem hominem aſſidua collocutione mutatum, ad reconciliandũ, placandumque ſibi Deum, & confitenda ſibimet peccata conuertit. Ipſe verò & Hortizius, ceterique hiſpani ſeptimo die præter expectationem, ac ſpem, præterque morem, cùm magno ſoleret libertas redimi, & pro nobilitate, numeroque comitatus poſſet ingens fieri quæſtus per huma-

Captus in Gallia ſua ipſe pietate capit, expiatque Ducẽ arcis: & liberaliter dimittitur

niter, ac beneuolè non tanquam è cuſtodia, ſed tanquam liberali ex hoſpitio ſine pretio, ſine mercede mittuntur. Tantam vim habet in omnem partem, & apud omnes gentes caſtiſſimus atque ardentiſſimus Dei ſermo.

CAPVT X.

Magna pietate ingreſſus in Hiſpaniam, rebus multis præclarè geſtis, per multa pericula Germaniam iuſſus repetit.

Ingreditur in Hiſpaniã Cæleſtiũ patrocinia ſummo ſtudio implorãs.

VNde itinere repetito, vbi ventum ad Hiſpaniæ fines, cogitanti quàm latè aperiretur campus amplificandæ diuinæ laudis, ſibique diffidenti, & ad cœleſtium conciliandam opem intento mirus exarſit ardor, & liquidiſſimę affluxere dulcedines, dum Principatus, & Archangelos, Angeloſque cuſtodes eius Regni, ſingulariumque Prouinciarum, & vrbium, & ſingulorum hominum veneratur. Addebat & ſanctiſſimæ Martis patrocinium, religioſiſſima quæque eius in Hiſpaniæ loca, nominatim vſurpans ſanctæ Mariæ, cui nomen à Pila, ſiue columpa, & Mõtis Serrati, & ad aquas lupias, Addebat & ſanctorum, quorum præcipuè Hiſpani tutela, ſacriſque Pignoribus gloriantur, S. Iacobi, Narciſſi,

Narciſſi, Eulaliæ, Eucratidis, Iuſti, Paſtoris, Iſidori,atque Ildephonſi: quos omnes orabat, vti boni, atque propitij ſuum in Hiſpaniam ingreſſum reſpicerent, fortunarentque; ac precibus ſuis efficerent, vt fructuoſus incolis, ac ſalutaris exiſteret, Nec irritæ cecidere preces. Multa cum Hortizio percurrit Hiſpaniarum oppida, & loca: Madritum venit, adijt Cæſaraugustam, & Mediolum, cui vulgo nomen Medina cæli, Saguntum viſit, Complutumq;, & Ciuitates, ac populos alios; ac præclarum vbique Societatis ſpecimen edidit. Nec modo cum viris nobilibus, ſed, quod in viro graui, eodemque Cæſarei Procuratoris comite ſpectabile erat, cum plebe, puerisq; quibus Chriſtianæ legis inſtillabat initia, multus erat. Ita ſibi omnes ordines, omnesque adiungebat ætates. In Galapar. Oppido, dum ex ea, quam dixi, doctrina pares laboribus fructus legit, tum demũ ſe intellexiſſe teſtatur, quanti tandem à ſocietate ſit faciendum hoc inſtituendæ multitudinis munus. Sed hæc in Hiſpania quaſi præteriens egit. Nam Pontifex cum Germaniæ res videret quotidie labi in deterius, nec ignoraret quanti momenti opera illic Fabri fuiſſet, continuò iuſſit

Multa adit loca Hiſpaniæ magno cum fructu.

Iubetur redire in Germaniam.

eodem iter capeſſere: quo illum & rei Chriſtianæ neceſſitas maior, & operarum minor numerus reuocabat. Ad hoc dum ſe iter accingit, cum comitem ex ſuis haberet neminem, tacitis apud ſe precibus optauit à Deo, Aliquos ſibi ſaltem ex alienis adiungi: & eos demùm quibus cum pacificum iter, ac ſine vlla animorum diſſenſione conficeret. Cumulatè quod poſtulauit, accepit. Quippè cum Ocãniam veniſſet ſequutus Hortizium, vbi filiæ Imperatoris Cároli, Maria quæ deinde Maximiliano Cæſari, & Ioanna, quæ Ioanni Luſitaniæ Principi nupſit, degebant, multum apud eas, & aulam earum profecit. Peragrè itaque illæ tulerunt feſtinatum eius digreſſum: abeuntique duos addidere comites regij ſacelli ſacerdotes, qui Toletum vſque proſequerẽtur. Ioannes Aragonius vni, alteri Aluarus Alfonſus erant nomina. Hi, vt itinera maximè hominum nudant pectora, interioremque animi habitum palam faciunt, capti Sanctitate cõgreſſus tanti viri, & admiratione virtutis, eiuſdem inſtituti ſocios ſe ſe in perpetuũ obtulerunt: eamque bona venia Dominarum aula protinus relicta, cũ eo quocumque pergeret, reliquam ſibi vitam agendam

Abeunti duo ſacerdotes capti eius ſãctitate perpetuos comites ſeſe adiungunt.

dam

dam putarunt: Nauíque ac frugiferi Vineæ domini coloni fuere. Hoc igitur comitatu Faber longum iter ingreditur tantis difficultatibus,& periculis interſeptum, vt ipſemet ſingulari Dei aſcribat tutelæ, quod præter omnem ſpem ſalui Spiram, incolumeſque peruenerint: Nam in Hiſpania citeriore latronum ex vnguibus diuinitùs erepti ſunt,& in Gallia è pedore carceris, tenebriſque,& in Allobrogum, Heluetiorumque finibus è militum inſolentia,& ex Hæreticorum inſultibus in Germania, interdumque ex graſſante peſtilentia, & conflictatione morborum: ac deniq; quod grauiſsimum ipſe pro ſummo ſuo concordiæ ſtudio ducit, ex ſpiritu diuiſionis, ac diſſenſionis. Quod vir Dei tantopere fortaſſis magnificat, non eo ſolùm quod diſcordiæ malum iure vniuerſis antefertur incommodis,& externis, & corporis: ſed quod ipſe, dum tot vias ſine religioſo comite percurſat, ſeculariũ propius cognouiſſet, ac pertuliſſet ineptias. Nam quemadmodum iucundiſſimum eſt ærumnarum itineris leuamentum dulcis charitas, ac religioſa ſuauitas comitum: ita prope intolerabile onus fit, vbi ceteras aſperitates affixa lateri eorũdem moroſitas exer-

Per multa pericula Spiram incolumis peruenit.

cebat. Adiecit peregrinationis huiuſce decoribus illud Faber inſigne. Cùm per Sabaudiam iter haberet, & ad Oppidum, cuius grauis erat in animorum cauſa neceſſitas, diuertiſſet, facta ibi plena cum ſpe diuini verbi ſemente, ſuam ipſe Patriam in conſpectu poſitam, & propter quam tenendum erat iter, nulla non modo leuitate, ſed ne ſpe quidem lucri animarum ab religioſa ſeueritate deflectens auerſis oculis Miſſam fecit.

Prope patriã iter habens eam non viſit.

CAPVT XI.

Spiræ multa præclaré gerit: deinde Moguntiæ, tum iterum Spiræ.

SPiræ porrò ingens erat parata iam meſſis, ſed cum initio cleri obmurmuratio duriorem ex inani ſuſpicione pertimeſcẽtis emẽdationem, perſtreperet Patris prudentia, ac comitate ſedatur, quin ipſos quoque religionis cauſa aduerſantes rectæ vitæ documentis, & candore animi paulatim ſibi ita deuinxit, vt eius poſtea diſceſſum permoleſtè tulerint. Populi autẽ ſtudio pietate creſcẽte q; demetendis frugibus dies totus diſtinebatur. Concionatorem, cuius de religione ſuſpecta mens erat, atque doctrina, modo in

Clerum initio alieniorẽ & hæreticos ipſos ſibi conſiliat.

in medium afferendis, quæ cum illo ſibi conueniebant modò prætermittendis, vbi diſpar erat vtriuſque ſentẽtia modo etiam ad eius Monaſterium elemoſinis ſummittendis mirè conciliatum ad veritatis lucem pulſa caligine præparauit. Clerus antea ſolutior breui ſe ad ſerenitatem veterem reuocauit. Tractari ſacerdotium more maiorum, pari inquam, animi corporiſque candore: cuſtodiri arctius in religioſis ordinibus diſciplina: plebs fieri ad Diuina propenſior, vt affirmarint Parochi, plures ad Sacram Euchariſtiam Paſchate acceſſiſſe poſtremo, quàm totis annis ante vigenti. Epiſcopus (is erat Philippus à Fleſchein) in corrigendis moribus multo erat ardentior: cuius Vicarius, ſpiritus iam antea exercitationibus inſtitutus, tanto in eos, qui fouebant amicas, zelo, ſtudioque flagrabat, vt bello palàm concubinis indicto, aut vniuerſas ſe ſpoponderit eiecturum, aut munus ſuum citò depoſiturum. Cœpta ſunt etiam ipſa pietatis officia maiore exerceri cum ſenſu: iamque catholicis plus vulgò honoris, & fidei, plus obediẽtię prælatis deferebatur. Denique tũ primũ ſpes Fabro iniecta reparãdæ germanię & ad auitã religionis regulam dirigẽdæ

Omnes hominũ ordines adiuuat.

vero ei ſe adiunxerāt Hiſpani Sacerdotes eos affatim rebus diuinis imbutos curabat inſuper vſitatis Societatis peregrinationibus exercendos. Ac primùm quidem Ioãnem Aragonium Iulio menſe: deinde verò paucis poſt mēſibus Aluarum Alphonſum cum baculo, & ſine nummis ad ſancta tria Magorum corpora, Coloniam ire iuſſit. Quod tanta ab his cum acceſſione ſpiritus factum eſt, vt eorum alter Aluarus magnis, variiſque laboribus, ac periculis latronum, ferarum, peſtilentiæ, famiſque perfunctus, tantùm ſe ex ea peregrinatione hauſiſſe commodi confirmarit, vt nullius rei conditæ pretio eam voluerit prætermiſſam: paremque alacritatem prę ſe tulerit Aragonius. Qui cū in ſancti Laurentij peruiligio rediiſſet, ad eius conſpectum Faber ſanctæ lætitiæ tanta delibutus eſt copia, quantam in eiuſmodi cauſis ad eam diem perceperat numquam. Itaque cum alias ſoleret in peregrinationum aduentu incitari animo ad charitatis colloquia percunctans, & audiens de itineris caſibus, de experimentis Diuinæ prouidentiæ, de rebus ſacris ac religioſis, quas memorandas vidiſſent, & alia de hoc genere, nulla in pręſens huiuſmodi tactus cupidi

Fabri in peregrinorū aduētu ſancta lætitia.

cupiditate eſt, ſed totus ac penitùs raptus ad Deum, ibi acquieſcebat; ibi videre videbatur Deum ipſum, ac Cœlites, qui quaſi ſua cauſa geſtientes, circa ſe adeſsēt certatimque ſibi gratularētur. Quo altiorem ipſe gratiarum ingreſſus actionem Patrem adorabat æternum, atque rogabat vt Filio, & ſancto Spiritui, tum Filium vt Patri, itemque Spiritui ſancto, atque ipſum denique ſanctum-Spiritum, vt Patri & Filio gratularetur ſuper eo reditu, peregrinique tutela, ac beneficijs totum per iter ei datis. Inde benigniſſimæ cœli Reginæ ſupplicabat, vt ijſdem pro muneribus grates ageret, Sanctiſſimæ & indiuiduæ Trinitati, rurſuſque Trinitatem venerabatur, vt Virgini Deiparæ benediceret propter omnia in nos collata per eam dona. Modo deinceps perſimili Curiam obibat cœleſtem, ſigillatim ordines Beatorum, & choros, ac nominatim tres Magos Reges, Vrſulamque & Pinnoſam, & cæterum comitatum earũ, vt Deo gratularentur precans viciſſimque Deũ, vt ipſis ео nomine benediceret. Precabatur autē qui Aragonio re, qui verbo benignè feciſſent, qui viam quoque monſtraſſent, qui demum quacumque ratione beneuolos

ſe præ

ſe præbuiſſent, eis omnibus merces opima eſſet, ac ſempiterna. Addebat, & qui vultu, dicto, facto, quopiam acerbi, & aduerſi fuiſſent, quibus cœleſtem miſericordiam implorabat, cùm exiſtimaret permittere Deum interdum, vt homines diuina gratia indigentes iuſtis moleſti eſſēt & aliquid negocij faceſſerent, vt ab his cùm exempla humilitatis, tum precum auxilia reciperēt, per quæ deſcenderēt, in ſeipſos, & ad meliora conuerterentur. Sed ad iuuandos opera ipſa, & labore populos intentus, quoniam Moronus, cui Pontificis iuſſu parebat, poteſtatem fecerat, quo maximum operæ inuitaret pretium adeū-di, Albertum ArchiEpiſcopum Moguntinum eundemque ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem conuenit. Norat pridem illum in Ratisbonenſi conuentu, ac ſciebat percupidum Diuini cultus: vnde ſpes affulgebat bene apud talem Antiſtitem operæ collocandæ, quæ nequaquam fefellit. Cùm enim nonnulla de religione deq; rebus grauibus vna contuliſſet, auctoritate eius, nutuque Cardinalis permulta vtiliter, præclareque ſanxit. Quæ forſitan cauſa fuit, cur ex ea quoq; ciuitate quorūdam commoueretur inuidia. Quod cùm Faber

Charitas Fabri notabilis erga eos, qui famulos Dei laceſſunt. Nota.

Moguntiā adit multaq. eius conſilio, Antiſtes Moguntinus e re Catholica ſancit.

Faber animaduerteret, non tulit pacis Angelus, quorum quærebat animas, eorum naſcentes iras, & offenſionem. Itaque non priùs inde receſſit, quàm ibi quoque turbarum ſedaret initia, & tranquillandis animis odia concitata reſtingueret. Ibi etiam hominem profeſſione iam Monachum vſu, exercitationeque rerum diuinarum ad purum & caſtum religionis cultum ex hæreſum labe, ac corruptela traduxit. Quibus rebus cũ & eximiæ prudentiæ, & ſpectatæ doctrinæ, & ſingularis probitatis ſpecimen prębuiſſet, tantam ſibi eius Ciuitatis, Cardinaliſque conciliauit beneuolentiam, ac gratiam, quanta in ſocietate poſtea viſa eſt redundare. In digreſſu ſcripta quædam de religione, quorum de veritate Cardinali non liquebat ſatis, quæque nulli alij tuto committenda putarat vni expẽdenda Fabro, ac dijudicãda permiſit. Cùmque ei ſpecioſa munera, vas præſertim argenteum magni ponderis obtuliſſet, Faber paupertatis in primis amans ſcité remiſit, quod diceret ſe non ex pauperum eſſe numero, qui argenteam ſupellectilem, ſed qui bona ſua ſecum ipſi portarent. Poſtero tamen die Cardinalis, prehenſo ſuis manibus abeunte, in

Liberalitas Cardinalis Mogũtini: & ſtudium Paupertatis Fabri.

Breuia

Breuiarij thecam de zona ſuſpenſam aureos centum florenos iniecit, quos cum recuſandi non eſſet locus, ne contemni tanti Antiſtitis liberalitas videretur, qui vim non modo verbis, verùm etiam manibus afferebat, eos partim miſit ad ſocios qui Louanij ſtudiorum gratia magna in paupertate degebant, partim in egenorum pabulum, aliosque pios vſus ſine cunctatione diſtribuit. Inde Spiram vnde abierat reuerſus, præclaris cœptis perſeueranter inſtitit. Erat Spiræ ex hæreticorum ſchola Auguſtinus quidam, ad reſtinguenda in auditorum animis bonorum operum ſtudia in primis efficax. Faber autem viciſſim in refrigerandis hominum ardoribus, ne quid noui moris admitterent, deſudabat: hominemque ſanè idoneum qui ſe ad hæretici partes meditabatur adiungere, ab eius conſuetudine prudenter abductum traduxit ad ſuas: vt nemo peſtileſtilentiſſimo illi Miniſtro deinceps infenſior fuerit hoc Chriſti tyrone: nemo magis aut doctrina, aut moribus aduerſarius.

Spiram Faber reuerſus bene rem gerit.

CAPVT XII.

Reuocatur Moguntiam mittendus ad Tridentinum

tinum Concilium: quo dilato nauiter Moguntiæ elaborat.

NOn diu Spirę ſubſtiterat Faber, cùm Moguntiam celeriter reuocatur. Fuit enim Archipiſcopi Moguntini conſilium, vt Fabrum, de cuius eruditione, agendique prudentia multum ſibi iam dudum pollicebatur, vna cum aliis ex ſua familia per eruditis viris ad Tridentinum Concilium proximis Kal. Nouembribus deſtinaret, deinde Moguntiam ad docendi prouinciam reuocaret. Sed hanc ei legationem, ſi vita ſuppeditaſſet, ſedes Apoſtolica reſeruauerat, vt ſuo loco reddã. Verùm dilato in aliud tempus bellorum trepidatione Concilio, ne tam ſalutari Fabri careret vſu, conſuetudineq́;, hominẽ apud ſe tenuit, nec Spiram redeũdi poteſtatem fecit. Ergo ipſo iubente Præſule Moguntiæ conſedit, anno iam inito ſeculi quadrageſimo tertio. Hic ſtrenuus animorũ, fideique defenſor pro concione pſalmos Dauidicos explanabat, plauſu ingenti populorum, vtilitate pari. Qui dum ad eximiam ſaluberrimamq́; doctrinam vitæ cãdorem, morumque ſuauitatem adiungit, Moguntinorũ animos æque ac ſpirenſium breui ſibi adiunxit. Rationem exercendi

ſpiritus per pias commentationes compluribus de primarijs, duobus præſertim Epiſcopus tradidit ſuffraganeo Moguntino, & Nemburgenſi eſpiſcopo deſignato: qui dum ad actionem, & vſum expertæ contemplationis præcepta reuocant, quotidianæ mẽtis exercitationi horæ ſpacium matutinis, nocturniſque temporibus tribuebant. Concubinis implicitos Parochos ad pudorem, & ſanctimoniam ſapienter, commodeque traduxit. Quo facto mirum quantum ei ciuitati ſalutis, quantum ſibi vulgo & amoris, & fiduciæ conciliarit; vt perbeatus ſibi videretur quiſquis ab eo viro vel exercitiorum haurire doctrinam, vel ſacris poſſet expiari myſterijs. Et quoniam linguæ ignoratione, plerique tanto frui bono non poterãt, inuentus eſt ſingulari Dei prouidentia ſummæ fidelitatis interpres, per quem tuto ſeſe indicare Fabro, totoſque pandere non puderet. Quid multa? In ſpem Faber ipſe venerat copioſiſſimæ aliquando frugis: id quod ei plurimorum incenſa ſtudia, & æternæ ſalutis vota pollicebantur. Quo circa ſcribit ipſe ad Ignatium, ſe vt ex collectis Parmæ frugibus Romam reliquiſſe pro Parma non pœnitebat, ita ne Parmam quidem pro Germania piguiſſe relinquere; ac ne Ger-

Vbicũſq; fuit Fabro res è ſententia ceſſit.

maniam quidem propter Hiſpaniam, nec hanc rurſus propter ſpiram, nec ſpiram denique propter Moguntiam: tāta erat vbique ſegetis ſeu perceptæ, ſeu ſperatæ lætitia. Ita magnis animis vbique patria, ita ſedulis operarijs vbique opus: ita Deum vere querentibus vbique præſto eſt Deus, Cùm autem à ſacris de more lectionibus ceſſandum eſſet, Faber per eas ferias Aſchafemburgum, quo Cardinalis Moguntinus ſeceſſerat, vt grauia quædam cum illo de re diuina conferret, excurrit. Excitat Paſtorem in primis ad cōformandos mores frequēſiſſimi gregis. Moguntina namque Ciuitas tantæ in Germania auctoritatis, ſi in fide, Chriſtianiſque moribus ipſa præſtaret, ſperabat fore, vt eius ad exēplū Ciuitates aliæ complures aut in eadem fide nullo negotio continerentur, aut certe non tam lubricæ eſſent, & procliues ad hæreſim. Cardinalis qui erga Fabrum optime iampridem erat affectus, eiuſque ſingularem admirabatur coniunctam cum virtute doctrinam, omni illum præcipuo honore, & charitate habuit. Cumque non ignoraret, quas vir religioſiſſimus maximè amaret delicias: atque adeò amborum in cultu ſacrorum, cælitumque veneratione

Aſchafēburgi geſta res cū Antiſtite Mogūtin.

egregiè conſentiret pietas, & haberet Albertus ſacellum reliquiarum ſacrarum copia, præſtantia, ornatu inter pauca viſendum, qua ſumma potuit magnificentia id ornari, exponique lipſanothecas iuſſit vniuerſas: tum Fabrũ in eo diuinam rem facere, & intereſſe facienti ipſemet voluit. Quo loco vt infra narrabitur, didicit Faber non ex hominum gratia, apparatuq; externo pietatis guſtum, cælique pendere ſuauitates: Sub hæc recipit Cardinalis, quę piè ſibi, ac ſalutariter ſuggeſſiſſet, eorum ſe propriam, ac peculiarem habiturum eſſe rationem: perfecturumque rebus ipſis, vt intelligeret quanti tandem apud ſe forent eius diuina, ac ſalutaria, ſic (enim loquebatur) præcepta. Interim monet præclaris cœptis inſiſtat, nec ſuſcipiendis pro ſuo grege, & Dei gloria laboribus terreatur. Gratam ſibi rem facturum, ſi ad explanationem pſalmorum, tam vtiliter inſtitutã, latinas etiam diebus dominicis conciones adiungat. Vnum illud ingenuè promat, quid honoris, atque ſtipendij putet ei loco, laborique conueniens. Cui Faber ſtipendium, inquit, Præſul ampliſſime, iamdiu non accepimus, quod nullis vmquam meritis adæquare liceat, cum dignatus eſt
Deus

Deus vocatione ſua ſancta in opus Euangelij, vt gratis daremus, quod gratis accepimus. Tum occaſione vſus per illius ſeceſſus otium de Societatis inſtitutis accuratiſſimè Cardinalem edocuit, qui vſq; adeò probauit omnia, imo etiam ſuſpexit; vt Societatē ſibi videri diceret prope diuinitus ad ea tēpora, tam difficilia, tamque aſpera reſeruatam. Aſchafeniburgi rebus è ſententia geſtis Faber, prolixeque ad conciones, & quemuis laborem operam ſuam Cardinali pollicitus, paucos intrà dies Moguntiam rediit.

CAPVT. XIII.

Faber Coloniam adit, vbi rem Catholicam periclitantem fulcit.

HIc dum clerum æque ac populum ad omnem pietatem nouo impetu, conatuque erudit, præſtantiſſimum ad eā rem ſocium, & ſui ſimillimum adiutorem Deo mittente, nanciſcitur, Petrum Caniſium, Nouiomagenſem è Geldria Belgij Prouincia; qui iam tum & religionis Catholicæ propagandæ, & contra hæreticos defendendæ ſtudio flagrabat acerrimo. Ad eamque pietatem cùm vitæ accedebat ſingularis integritas, tum literæ in- *Petri Caniſij ad Societatem acceſſus.*

teriores, & eloquentia non vulgaris: vt ipſa morum ſimilitudo duos videretur Petros vno quaſi ſpiritu colligaſſe. Is ergo Coloniæ cũ degeret auditis, quæ Fabri de ſanctitate, doctrinaque circumfereban- tur, Moguntiam eo conſilio ſe contulit, vt quẽ de fama iam norat, eum etiã de facie noſſet. Quem vbi cognouit, ac deguſtauit, animi ſui lætitiam, his ad amicum teſtatus eſt literis. Secundis, inquit, ventis Moguntiam veni: virum, quem quæſiui, ſi tamen vir eſt, & non potius Angelus Domini, meo magno bono reperi; quo nec vidi, nec audiui doctiorem, profundioremque thelogum, aut tam illuſtris, eximiæq́; virtutis hominem. Illi nil æque in votis eſt, ac Chriſto cooperari in ſalute animarum: nullum ex illius ore verbũ, ſiue in vſu, familiarique congreſſione, ſiue dum menſæ accumbit, prodire audio, niſi quod Dei honorem, & pietatem ſonet; neque tamen ob facundiam audientibus grauis, aut moleſtus eſt. Authoritatem tãtam habet, vt ei ſe ſpiritualiter informãdos, multi Religioſi, multi Epiſcopi, multi Doctores tradiderint: inter quos & Cochlæus ipſe, qui pro ipſius inſtructione gratias ſe reddere pares vnquam poſſe negat. Multi ſacerdotes, &

Caniſij de Fabro teſtimonium.

cuius

cuiuſuis Ordinis Eccleſiaſtici vel cõcubi-
nas abiecerunt, vel ſeculum reiecerunt, ”
aut à grauibus flagitiis ad frugem melio- ”
rem eo adnitente, adlaborãteque ſeſe re- ”
ceperunt. Quod ad me attinet, dici vix ”
poteſt, quemadmodum exercitationibus ”
illis ſpiritualibus animum meum, ac ſen- ”
ſus immutari, mentem nouis cæleſtis gra- ”
tiæ radiis colluſtrari, & nouo quodam me ”
vigore affici ſenſerim, ſic vt, & in corpus ”
redundante diuinæ beneficentiæ copia, ”
totus corroborari, atque in alium prorſus ”
hominem transformari viderer. ”

Inter illas exercitationes, Caniſius to-
tum Deo ſe in Societate deuouit: quo re-
miſſo Coloniam, vbi Ioannes & Aluarus,
ſocij Fabri, ſtudiorum cauſa verſabantur;
per theologum quendam celeriter Faber
ipſe euocatur, quod Eccleſiæ illi maximũ
ab Hæreſum naufragio periculum immi-
neret. Aberat tum Cardinalis Archipiſco-
pus, & rediturus propediem dicebatur.
Faber ad eius aduentum Colonienſem
detinuit Nuntium: interimque diuinis
illum rebus per vſitatas commentationes
inſtituit: cuius, is cõſuetudine, appoſitiſq;
cæleſtium cogitationum epulis deguſta-
tis, modico dierum interuallo Societati ſe

Colonia Fabri labores.

dedit. Eoque etiam auctus ſocio tandem Faber, Cardinalis Conceſſu Coloniá abit. Hic id, quod ex Nuntio audierat, re ipſa comperit valde in lubrico verſari rem Catholicam: peſſimo loco illius Eccleſiæ res eſſe, in qua ipſe-met Paſtor, & Antiſtes Hermanus, ſeu veteratoriis Hæreticorum artibus, ſeu pernicioſis Catholicorum aſſentationibus prauè cœperat de religione ſentire. Cumque nemo eſſet, qui ſe tanto Præſuli auderet opponere, vnus inuentus eſt Faber, qui placato priùs Hoſtiis, precibuſque continentibus Deo, Archiepiſcopum conueniret, & peramicè, libereq; ſui admoneret erroris. Tantumque profecit modeſtiſſimis ſuis, pleniſque ſapientia monitis, vt de Paſtoris fide, doctrinaque meliora ſperari ſint cœpta. Verumtamen cautioribus conſiliis vtendum ratus (nam in ſuſpicionem venerat, ne malorum ſtirpes, quod nondum ſatis videbantur euulſæ, ſe abeunte renaſcerentur) Nuntium Romani Pontificis de Colonienſis Eccleſiæ ſtatu, quo acrius illuc vigilias intēderet, cōmonefecit. Is erat Ioānes Pogius, vir pereruditus, ac prudens, qui poſtea S.R.E. renuntiatus eſt Cardinalis, tūq; degebat in vrbe Bonna, hāud ita Colonia procul.

Ioannes Pogius Pōtificius Nuntius dein Cardinalis.

Is de

Is de illius Eccleſiæ rebus edoctus, & præſens periculũ perhorreſcens, nullo modo paſſus eſt moueri loco Fabrum. Nã quod ſpectabat ad Moguntinum, bono animo iuſſit eſſe; ſe daturum pollicitus operam, ne paucorum menſium abſentiam is iniquius ferret Antiſtes. Obſequutus Nuntio Faber Coloniæ reſedit ad acerrimam ac perennem eius Eccleſiæ cuſtodiam: vt per eum potiſſimum ſteterit, ne multò fœdius tetriusque, aut illius ſplendor Cathedræ, aut nobiliſſimum Germaniæ membrũ ab impuriſſima Luteri ſchola, tam luctuoſo tempore fœdaretur.

CAPVT XIIII.

Faber iuſſus in Luſitaniam proficiſci, Louanij morbo tenetur, interimque miras Louanienſibus vtilitates parit.

INterea redduntur ab Ignatio literæ vt relicta Colonia, in Luſitaniam cum Aluaro Alfonſo, & Ioanne Aragonio protinus iter paret. Ioannes enim Luſitanorum Rex, cum Mariam filiam Philippo, tum Hiſpaniarum Principi, poſtea Regi ſecundo deſpondiſſet, vnum aut alterum, quos in Caſtellam proficiſcenti comites daret, è primis Societatis Patri- *Poſtulatur Faber à Ioanne Luſitaniæ rege.*

bus poſtulauerat: idq; ſuo Romæ Oratori mãdarat: & Faber nominatim poſtulabatur. Quæ res cũ pro ſummis in Societatẽ Luſitanæ aulæ meritis debita, & ipſimet Societati ad aperiendum ſibi aditum nouas in prouincias opportuna eſſet, cõſulto Põtifice, Ignatius de eius voluntate, Fabro iter iniunxerat. Quibus ille mandatis acceptis, quamuis curæ vrgebãt grauiſſimę, tamen non è ſuo ſenſu, ſed ex obedientiæ nutu diuinam gloriam interpretans, maximam confeſtim ſe ad profectonem accingit. Porrò ea res latere non potuit: qui

Pogius laborat, ne Faber Colonia diſcedat.

fruſtrà conatus hominem à cõſilio deterrere, dat ad Pontificem literas quàm incommoda eo rerum articulo talis viri profectio accideret, grauiter explicans, rogansque vt ſubſiſtere omninò iuberet. Nihilo ſecius maturauit Faber, quid Pogius moliretur, Ignatium edocere: quo is rerum omnium cõſcius oportunius apud S. Dominum, quod è re videretur efficeret. Datis ad Ignatium literis, abſque mora profectus Colonia, perrecturus in Luſitaniam, Louanium venit. Erat Louanij puſilla Societatis ſcholaſticorum familia, maximam partem Hiſpanorum, qui cum migrare Hiſpanos omnes è ſua ditione Rex Galliæ Franciſcus iuſſiſſet, Lutetia

Louanij, morbus Fabrum tenet, vt videtur, diuinitus immiſſus.

eo conceſſerant. Et apud Cornelium Viſhauæum, qui Sacerdos iampridem virtutis eximiæ fama nobilis, Societatem meditabatur, degebant. Quos vt Pater aſpexit, & iucundiſſimis excepit amplexibus, conuerſus ad Cornelium, qui propter eius aduentum feſtum diem agere videbatur. Age, inquit Corneli, ſatis iam habeo te de facie noſſe, quem etſi meis oculis anteà non vidi, te tamen noui: nihil eſt cur de nobis vehementiùs angaris: poſtridie hinc in Luſitaniam obediētia nos auferet. Cui Cornelius; aduerſari inquit, imperio iſti, & obedientiæ nec auſim equidē mi Pater, nec omnino debeo. Cæterū illū ipſum, qui & obedientibus frænum iniicit cum viſus eſt, Chriſtum inuoco, ne te hinc abire, & auolare permittat: ſed quādiu huic populo vſui fueris, remoretur. Subriſit Faber: & tamen Antuerpiam ad Luſitana inſpicienda nauigia, quæ ad oppidum Veras appuliſſe ferebantur, poſtero pergit die: quæ vt ad ſoluendum inſtructa, & expedita iam vidit, confeſtim nauigationis ſocios deducturus, Louanium repedat. Vix eò redierat, cum tertiana febris acceſſit. Hæc penitus ſtrauit hominē, & lecto affixit ne moueri loco poſſet,

Cornelij Vichaui virtus.

adeò

adeò pertinax (quippe bimeſtris) vt eius iam ſaluti Medici, & curationi diffiderent. Sed cùm ei Cornelij preces pro ſua Louanij commoratione veniſsēt in mentem, hominem ad ſe accerſitum rogat, iam vota vertat, & argumenta precandi : & qui tam pertinacem febrim fuſis precibus aduocaſſet, his denuò adhibita precatione diſcutiat. Fecit imperata Cornelius ſimplici candidoque pectore, & exinde melius factum eſt laborāti, vt è lecto ſubinde ſurgere, ſuiſque niti pedibus medico admirante iam poſſet. Decumbentis in ea Ciuitate fructus, ſatis aperte vnde commoratio illa ortum habuiſſet, oſtendit. Nam illud certe Medicus aperte profitebatur, nequaquam videri à natura tātam eius morbi pertinaciam eſſe. Is Cornelium ipſum periclitatum egregiè, probatumque Societate recepit, & ad firmitatem intendit: vt idcirco & in morbum videatur fuiſſe delapſus, & ex morbo Cornelio ſupplice releuatus: vt cuius eſſet tanta vox commendationis in vulgus, eius virtutem & ſanctitatem diligentius excuteret. Senſit enim continuò Faber periculum eſſe, ne viro bono, ac ſimplici Angelus præſtigiator illuderet; eoque exquiſitius

Mire vtilis Louanio eſt Faber quamuis ægrotus.

tius toto trimeſtri, veluti rudem integrumque diſcipulum quotidianis experimentis exercuit, vt planiùs infra ediſceram. Sed Fabri mora non vni Cornelio, ſed Frãciſco quoque Stradæ in ætatis iam ſe corroborantis gradu diſciplinæ aptiſſimo ſalutaris fuit. Erat is iuuenis natione Hiſpanus ad agendum cum populo de ſuperiore loco raræ facultatis: & aliquot iam annos in Societate agebat cum fructu incredibili multarum Italiæ ciuitatum: qui Fabri ductu, conſiliis, inſtitutione multò clarior toto Louanio factus, egregia poſuit nouæ prædicationis exordia. Excitauit Tyronem vetus magiſter ad conciones Latinas in Falconis gymnaſio, vbi Strada ipſe de auditoribus vnus erat. Eáque re & frequenti illius Academiæ iuuentuti, magiſtris non modo inuitis, verumetiam poſtulantibus, & Stradæ facultati, quæ Philoſophiæ ſtudiis intermiſſo bene dicendi vſu, vt plurimnm exareſcit, opportunè conſuluit. Itaque ſimul ac inflammandæ iuuẽtutis gratia, verba facere Iuuenis acer inſtituit, repẽtè ad eum, quem priuatæ iam ſcholæ, prodiderant, ingens academicorum multitudo confluxit: eaque in dies ſic augeri cœpta, vt iterum ac tertio fuerit laxiores

Auctore & adiutore Fabro Frãciſcus Strada Latine Louanij cõcionatur ingenti cũ fructu pietatis.

laxiores in exedras emigrandum. Magiſtri portò omnes, quo latius noui concionatoris pateret vtilitas, authores fuere Fabro vt eum ad Archangeli Michaëlis, quæ de præcipuis Louanij ædibus vna eſt, feſta ſaltem quaque luce concionari iuberet. Quorum Faber conſilijs paruit ſpe propoſita copioſæ frugis: tametſi partem in eò ipſe laboris, atque oneris morbo ſtratus non ſubterfugit: qui vt animos adderet in eo genere dicendi imperito, iuuenique: nec philoſophicis ſtudijs cura noui laboris officeret, concionum ei argumenta, vel de lectulo ſuggerebat: eaque diuidebat in partes, vt pro lectione vox eſſet, pro librorum apparatu culti pectoris ſapientia. Sed cũ per os Stradæ Faber Louanienſiũ animos incẽdiſſet, celebrari quotidie magis Cornelij eſt cœpta domus. Accedebãt viri graues grauiſſimis cum decumbente acturi de rebus: ex eoque tanquam ex oraculo reſponſa petebant: re ipſa probantes, quæ de tali viro multorum fama, rumoreſque nuntiarant. Et quamquam ſalutantium turba morbi vim non mediocriter intendebat, æger tamen imbecillitatem corporis animi virtute ſuperabat: & præſtanti quadam erga proximos charitate,

facillimos ad ſeſe aditus patere cuiq; volebat:nec à ſe quemquã niſi æquũ vſquequaq; placatũq; dimitti. His humanitatis, charitatis, induſtriæque præſidiis feruere Louanij viſa ſunt omnia: multiq; ſepoſitis domeſticis curis ad exercendum pie animum excitati. Vnum memoro Theodoricum Heſium Leodienſis Eccleſiæ Prodecanum, quæſitoremq; Catholicæ religionis, qui quondam Adriani Pontificis A ſecretis, & à ſacris confeſſionibus fuerat; cuius & ille Cõſiliis in Põtificatu plurimũ vſus dicitur, & quem propter integritatẽ vitæ, ſplendoremque doctrinæ, niſi mors interueniret, in ampliſſimũ Cardinalium Collegium cooptaret. Is cùm in has mentis exercitationes eſſet ingreſſus, ſingularẽ hanc ſui fructus ſignificationem dedit egreſſus, vt ad collocandam in tuto ſalutem ſuam, totũ ſe Fabro crederet, omnẽq; vitæ curſum tota voluntate permitteret. Faber tamen & ætatis, & perſonæ ratione habita, quarum altera inclinata iam erat, altera ſua ſpõte ſpectatiſſimis ornata moribus, alienis adminiculis non egebat, tum verò Leodienſis Eccleſiæ propoſito bono non ei cẽſuit vitæ genus, inſtitutũq; mutãdũ. Suaſit potius & quę poſſidebat in vita

Theodoricus Heſius permittit ſe Fabro.

bona

bona,eo quę gerebat in republica munera ea prudẽter adminiſtrare, ad Dei Scilẽtia gloriam, & proximorum vtilitatem, eſſéque in nobili illa Ciuitate probitatis exemplum, propoſitum ad imitandum, cùm populo vniuerſo,tum clero pręcipuè. Amplexatus eſt vir egregius totis præcordiis ſalutare conſilium:& ad optatã actionẽ reliquo vitæ ſpatio ſobriè,priè, iuſteq; traducto tanquam bonus,fideliſque diſcipulus reuocauit. Fœminarũ præterea cœnobiis, quæ & ipſæ Societatis operam ſitiebant,certa quædam viuendi norma, ad quam religioſæ vitæ curſum dirigerent, data eſt: repreſſa morum licentia: vetus reddita diſciplina: Virgines complures integerrimis nuptiis cum diuina Majeſtate coniunctæ ſacris addictæ cœnobiis:cõpluresque in Societatem adoleſcẽtes adſciti. Tãta denique morum in omni hominum genere facta conuerſio,vt iam tum de Ordiendo Iouanij Collegio Viri graues apud Cæſarem agendum putarent. Quibus ex rebus Deo duce, bene, ac feliciter geſtis coniici,haud ægrè poteſt,quanto commodo inferioris Germaniæ Sociorum in Luſitaniam nauigatio dilata, quanta cũ prouidentia diuini Numinis relictus ibi, vbi

erat

erat, morbo ingruente, ſit Faber. Quicquid enim deinceps in iis regionibus ad Dei gloriam, communeq́ue Eccleſiæ bonum à ſocietate geſtum eſt, id omne ſi verum quærimus, his debetur initiis.

CAPVT XV.

Multis Societate receptis, & aliquot in Luſitaniam miſsis, Faber Pontificis iuſſu redit Coloniam.

INterim Faber dum diuturno conualeſcit ex morbo à Pōtifice, quem vt ſupra demonſtratum eſt, Pogius admonuerat, Luſitanica profectione in aliud tempus reiecta, Coloniam iubetur denuo ſe referre: Nempe ad eius fulciendas, prohibendaſq; ruinas, cuius iam antea fidem confirmauerat vacillantem. Igitur anni naſcentis exordio reditum Coloniā adornabat: ſed priuſquam ſe Louanio commoueret, meſſis particulam, quam vt ſuis concionibus Strada, & ſua ipſe pararat induſtria prętermittendam non putauit. Iuſſerat Ignatius ſcholaſticorum manipulum in Luſitaniam mitti, vt & Collegium Conimbricence, quod peramplum Rex moliebatur, frequentarent, iuuarentq́ue;

& viciſſim ipſi ad animarum vtilitates, diſciplinarum expolitione perficerentur, interimque ex omnium commixtione nationũ in Societate, quæ ad omnes iuuandas ferebatur, communis quædam, & vniuerſalis charitas diſcipulorũ Chriſti propria coaleſceret. Ille igitur de profectione Luſitana ſparſus rumor nonnullos ex Academicis excitauit, vt continuo Societem amplecti, & rebus omnibus ſponte miſſis peregrinari cum peregrinantibus vellent. Nouemdecim ſe ad iter accinxerant: ſed ex eo numero tantùm ſelecti nouem. Latinis omnes exculti literis, & eorum quinque liberalium artium iam magiſtri, reliqui aut theologiæ Baccalaurei, aut iuris vtriuſque diſcipuli: qui cum ſua Fabro Concilia tacitis incluſa pectoribus indicaſſent, votorum cõpotes facti ſũt: ſed cũ per otium meditandis de more diuinis exerceri nõpoſſent, ſatis habuere ſua apud Fabrum expiaſſe peccata, & poſt cæleſte conuiuium anteactæ vitæ reddidiſſe rationẽ. Spectaculum æquè ſuperis, ac mortalibus gratum, tot Deo victimæ vno tempore, vna animorum conſenſione dicatæ. interius cuiuſque gaudium frontis indicabat hilaritas, & theſauri inuenti lætitia

Ardoriuuenũ Societatem expetentium,

præſtabat

præſtabat animis contra ſatanam, domeſticiſque conſtantiam. Iactabantur à parentibus minæ & ex præcordiis alta ſuſpiria ducebantur, cum è complexu ſibi abripi in vltimas terras viderent cara pignora filiorũ: ſed ad inuſitatam liberorum fortitudinem, nouamque pietatem areſcebant eorum lacrymæ, remittebantur minæ, paterna flectebatur impietas, vt etiam ad pedes proſtrata nonnumquam à Patribus, Deique famulis veniam peteret. Adeo bellum eſt inter domeſticos fletus, ſurdis ad Deum auribus properare: & generoſo quodam pectore Crucis cauſa paternas iras, & blandimenta contemnere. Pugnabat non cum domeſticis, ſed ſecum ipſe Maximilianus Capella, obſurdeſcens ad Dei vocem, qui natus annos vndeuiginti, cum ad expiandum ritè pectus apud Fabrum ſolito crebrius Stradæ concionibus eſſet inductus, inclinare ſenſim ad Patres cœpit. Sed hanc mentis inclinationem propenſionemque temerè ſuſpicatus ex Leuitate quadam potiùs, quam diuino inſtinctu, profectam pro nihilo habendam duxit. Commodum Loüaniẽſibus ſociis adiun-

Maximiliani Capellæ ad Societatẽ Vocatio.

ctis ſibi recentibus copiis Luſitanæ peregrinationis tempus inſtabat, cum eadem Maximiliano cogitatio recurrit, inquirẽti ſecum ipſo, & itentidem conſultanti profecturis nec ne comitem ſe adiungeret: ac ne tum quidem diuinæ voci patulas aures præbuit. Manendum cum ſuis ſtatuebat magis, quàm peregrinandum cum alienis, eamque mentem haud mediocriter confirmauerat auditus concionator inprimis nobilis, qui cæcitatem hominum accuſabat, quòd ad vnius adoleſcentis vocem (ſtradam autem deſcribebat) tanta expectatione concurrerẽt. Placuit tamen officij cauſa poſtremam dicere Fabro ſalutem. Quem cum ad Cornelij fores offendiſſet Faber, eius ſalutationem anteuertens, Num ne & tu inquit, Maximiliane nobiſcum? ad quàm ille vocem tanquam è cœlo miſſam, & humana auguſtiorem, ſine cunctatione reſpondit, Volo & ego vobiſcum Pater. Alte quippe vox Fabri animum adoleſcentis intrarat, & præcordia tota commouerat: vt obluctari nulla ratione iam poſſet, qui diuturna ſecum luctatione pugnarat. Id quod ipſe poſtea mira cum laude Fabri & diuinæ admiratione

tione clemētiæ ſuum ſtuporem accuſans, animique duritiam, prædicare conſueuit. Tum Faber, aſcende igitur & tu cænaculum hoc, vbi Strada ſarcinas colligit. Aſcendit ille quo iubebatur, & duos de viginti reperit eiuſdem mentis lectiſſimos iuuenes, quibus aggregatis & ipſe domū redire pertæſus amico tradidit cubiculi clauem, qui ſupellectilem domeſticam cuſtodiret, vt ad Parentes inſulas mitteret. Porro Faber nouem ex eo numero, vt dixi à ſe delectos, & in his Maximilianū ipſū cum Franciſco Strada, Andrea Ouiedo, & Ioanne Aragonio veteranis ad Simonem Rodericium in Luſitaniam deſtinauit: ipſe autē cum duobus ſociis Aemiliano Loiola Beati Ignatij fratris filio, & Lamberto Caſtrio Leodiēſi Theologiæ Baccalaureo ad xi. Kal. Febr. Coloniam rediens, in itinere Leodium, Traiectum, Aquiſgranum vſque adeò ſuis concionibus incitauit, vt ex iis vrbibus ad eum plurimi Coloniam ſe vēturos, vel exerciorum cauſa, vel diſciplinæ reciperent.

Duodecim de Societate in Luſitania num miſſi.

Faber Coloniā reuertit.

CAPVT XVI.

Egregia Fabri ſtudia in tuendâ Coloniæ Catholica fide.

COloniæ verò Aluarum Alfonſum incolumem reperit, Caniſiũ autem patre defuncto profectum in patriam. Hunc igitur per literas conſolatur, & conſolandæ Nouercæ rationem edocet, ſimulque ad maturandum reditum cohortatur. Quibus ille perlectis literis, multò Fabri, quam patriæ cupidior, compoſita celeriter re domeſtica Coloniam reuolat, non ſine acerbis ſuorum querelis, & quod paternos fundos exteris erogaret, & quod re familiari temerè conſtituta hoſpite inſalutato diſcederet: tum vero, quia peregrini hominis auaritia (Fabrum autem ſignificabant) fictæ religionis ſpecie à ſuis ſe pateretur auelli. Quibus ſane querelis, quamquam Faber haud magnopere mouebatur, tamen conſolandi magis, quàm ſui purgandi gratia literas ad Nouercam dedit, vt ſimul intelligeret, nec ſe pecuniarum ſpe ad Societatem inuitaſſe Caniſium, nec eam Caniſij fuiſſe pietatem, vt aut ſuis, aut alienis ad id illecebris indigeret, quæ ipſa potius

Caniſij conſtantia in Vocatione Religioſa

potius ad Religionem ceteris eſſet illecebra. Tres enim ille delectos iuuenes ſecum duxerat, quorum duo Carthuſienſi, tertius noſtræ familiæ nomen dedit: vt iam tum Societatis ſpiritus in Caniſio ſe proderet, qui Societatis tyrocinium à captandis & lucrandis animis inchoaſſet. Ceterum Fabrum grauior illa coquebat cura, vt Archiepiſcopum Hermannum in Religionis ſententia iam ante nutantem, ſed tunc etiam mentem cohiberet à lapſu, & in auita, atque orthodoxa fide contineret. Is iam plane Lutheri ſpiritu afflatus aduocarat è Germania ſuperiore Bucerũ, Melancthonem, Piſtorium, Sarcerium, & id genus alia portenta nequiſſimæq; illius ſectæ doctores, quorũ peſtilentiſſimis conſiliis hauſtum prius ipſe venenum tota ſua Diœceſi longe, lateq; diffundi impia diſſimulatione ſinebat. Faber ergo cum perturbata videret omnia, & iam propé ad deſperationem adducta, quod reliquum fuit, cauendũm Catholico populo, intactæq; ab hæreſi ciuitati putauit. Nondum enim veteratores illi admiſcere peſtem eã paſſim ciuibus auſi erãt. Huc ſuæ neruos induſtriç, vigiliaſque vel morte propoſita confert omnes plurimis locis

Coloniæ miſer, ac periculoſus ſtatus.

Fabri labores, & fructus ex eis.

plurimas conciones habet, & lectiſſimos ſibi vndiq; auditores adiungit. Dabant ei operam Doctores varij cum Academicis continenter: aderant & ex conſulibus ſæpè aliqui, procerumque corona Latini nõ imperita ſermonis, complures item de clero, Canonicique & Leodiẽſis Epiſcopus, deniq; ipſa robora ciuitatis, quæ doctiſſimis Fabri nixa præceptis, velut murus quidam oppoſitus luporum arcebant incurſus. Ac dum contagionis pericula propulſantur, optatiſſimi in animis fructus ſua ſe ſponte fundebant. Ingens ad confitenda ritè peccata curſus hominum erat, vt cum audiri à Fabro vis tanta non poſſet, adhibendus ei prætereà fuerit Aluarus Alfonſus homo nouus eo munere. Euchariſtiæ verò pia, frequenſque libatio, quæ vſurpari iam vulgo deſierat, maiore in pretio à nobilibus præſertim habita: Nec defuerũt ex Conſulum numero, qui ſuis cum familiis cæleſtes illas dapes ſacro Paſchatis die de manu Fabri, Parocho non modo nõ repugnante, verùm etiam exultante ſuſciperent. Academicis etiam nonnullis, quos lues importata peruaſerat, ereptus error: & excuſſa noctis caligine dies redditus Religioſa cænobia paſſim adita, & ſuis

reſtituta legibus,eademque ad arma interiora ſumenda contra nouos animarum prædones, diabolique ſatellites incitata. His ciuitati muniendæ præſidiis Faber intentus ſimul externa iungebat.Is in aulam Cæſaris ad Eccleſiæ Colonienſis Archidiaconum Ioannem Gropperum, & ad Antonium Perenotum Granuelanum, qui demum Cardinalis fuit,epiſcopum ea tẽpeſtate Atrebatenſem, ſtrenuũ vtrumq; Religionis Catholicæ defenſorem acres literas dedit, quibus inſidioſas hæreticorum artes fallaceſque dolos aperiebat: orabatque ſerio vt Cæſarem admonerent, Colonienſis Eccleſiæ cauſam, quam conſcelerata hæreticorum vis ſub ouina pelle conaretur euertere, omni ardore defenderent; viderentque vt per Cæſaris iuſſa Bucerus & Melancthon, ceterique tenebrarũ principes, qui ſpecioſo reformationis vocabulo,non modo iam conniuente, verùm etiam ipſo vrgente Paſtore cuncta turbarent,confeſtim è Colonienſis Eccleſiæ finibus pellerentur.Nam, quod longè deterrimum erat, auſos etiam eos eſſe impudentiſſimè reformationem illã ſuam quo plus haberet autoritatis, ac fidei, ficto Cæſaris nomine, Gropperique, & vi-

Excitat Faber etiã viros graues ad religionis Catholicæ defenſionem.

rorum clariſſimorum confirmare iudicijs, quaſi verò ſatis ipſi non eſſent impij, niſi pios etiam viros in eiuſdem ſocietatem ſceleris,& impietatis accerſerent. Dum reſponſum expectat; & eminus pugnam parat, cominus etiam laceſſit hoſtem, Bucerum,& Melancthonem, & hos nouos Magiſtros, qui ſe germanos Euangelij profitebantur interpretes, prouocat ad certamen: in omnique congreſſu manifeſtiſſimis argumentis, atque rationibus eorum confutat inſanias, tanta eruditione, ão varietate doctrinæ, tanta ingenij fama, atque admiratione virtutis, vt qui ſibi aliquid eſſe videbantur, nihil præ illo ſe eſſe ſentirent: Nec tamen vt idem ſaperent aſſentirent. Quippè inflatas opinione ſui mentes, vt eſt inimica ſuperbiæ veritas, altiſſima nox tenebat, ne lucis dulcedine, quam penè manu prehenderant, fruerentur. Quamquam accedebat peruicacia obſtinatiſſimę voluntatis ex inſanæ libertatis amore, & putridæ carnis obſequio, vt apertis oculis non liberet aſpicere, quod pigeret amplecti. Victa pertinacia non eſt, ſed repreſſa audacia: vt intra Coloniam debacchari ſuo arbitratu præſente Fabro non poſſet: quin & Præſulis imprudentiæ, ne fines

tranſiret

tranſiret omnes, iniecti fræni; vt meritò qui rectè ſentirent, aſſererent, niſi Fabri vigiliæ interueniſſent, perituram funditus fuiſſe Coloniam. Nimirum diuina vir ille pius iungebat humanis, & contentiones ſuas flagrantibus precibus admiſcebat. Abdebat ſe in ſacellum vndique circumſeptum ad beatę Virginis Vrſulæ, quam auream Cameram vulgus appellat, ſanctarum virginum cineribus, oſſibuſque decorum. Hic mente, & corpore ſtratus humi multo cũ imbre lacrymarum in conſpectu Dei ſuam animam effundebat: cauſamque religionis tanto commendabat ardentius, quanto vehementius laborabat. Hic ſacris operabatur aſſiduè: hic rerum diuinarum notitias plurimas, & magnas accipiebat: quibus quo mens eius acrior, & vegetior euadebat in dies, eo pericula cuncta robuſtius, & peruerſorum hominum calumnias contemnebat. Vnus ipſe pauperculus, humillimuſque peregrinus, & hoſpes terrori erat robuſtiſſimis, & ſuperbiſſimis aduerſariis. Nec Coloniæ modo clamoribus, aſſiduiſque vociferationibus lupos terrebat hiantes, ſed ciuitates etiam longè poſitas, per epiſtolas admonebat,

Ardor Fabri in precibus ad Deum pro Colonia.

rapidas

rapidas cauerent feras Chriſti imminentes ouili, ſimulque eas & agnoſcendi pariter, & declinandi rationem, viamque tradebat.

CAPVT XVII.

Rurſus in Luſitaniam ire iubetur, diſcedenſque Coloniæ, ſemen Collegio relinquit.

HIs curis dum maximè inſiſtit, per Ignatij literas, iubetur in Luſitaniā poſtulante rurſus Rege, & nutu accedente Pontificis ſe cōferre. Strenuè ille Coloniæ pro religione Catholica, ab ineunte Februario, ad Iulium vſque pugnarat, magno illius Eccleſiæ bono: ſed ne tantillum ab ea, quam tanti faceret, obedientia diſcederet, diſcedendum potiùs re decreuit infecta. Verum commodè factum eſt, vt in ipſo diſceſſus articulo ex his, quos in Luſitaniam miſſos ſupra narrauimus, quidam ſiue valetudinis cauſa, ſiue quod minùs neceſſarij eo loco tot putarentur externi, redirent in Belgium; horumque è numero Leonardus Keſſelius eſſet, vir præſtantis virtutis, maturæque prudentiæ. Hunc enim Faber Collegiolo, quod Coloniæ

Obedientia Fabri

Leonardus Keſſelius ſocijs Colo.

loniæ relinquebat præfecit, tam ſecundo euentu, tam & ciuitatis & ſocietatis ex vſu, vt occulto plané diuinæ prouidentiæ nutu eam contigiſſe reuerſionem dubitare non liceat. Rebus domeſticis vtcumq; compoſitis, conſalutauit amicos ſua digreſſione mœſtiſſimos, præſertim Carthuſiæ Patres, quos adeo ſibi, ſocietatiq; conciliarat; vt præter alias ſuæ beneuolentiæ, caritatiſq; ſignificationes frequenti conuentu decreuerint inter ſuum, & noſtrum Ordinem peculiaris amicitiæ fœdera ſancienda; theſauroſq; ſuos interiores omnes, & bona omnia ſpiritualia communicãda nobiſcum: id quod ſumma ab iis conſenſione conceſſum, publicis etiam literis, ac diplomatis teſtatum, & conſignatum eſſe Noluerunt. His Faber Patribus puſillum ſocietatis gregem, quem relinquebat, nouo fœderis, & coniunctionis iure cõmendat: ipſum vero gregem ad conſtantiam, & mutuam caritatem, ad omnemq; perfectionem virtutis inflammat: hortaturq; tutelares præcipue Cœlites implorare cõdiſcant; eos præſertim quorum corpora Coloniæ ſolum, terramq; cohoneſtarent; tres inquam, ſanctos Magos, & vndena Virginum millia, ſocietatemq; ſancti Gereonis

nia primus poſt Fabrum praeſt.

Carthuſiani Presbiteri Fabri virtute commoti Societatẽ ſingulari pietate tractant, ſuorumque meritorũ participẽ faciunt.

reonis illius Eccleſiæ decora, & patrocinia: quorum nixi tutela rem Eccleſiæ cum animorum cauſa coniunctam conſtanter gererēt; ardua non refugerēt, nec aduerſariorum ora formidarent. Ante omnia conſtanter Coloniæ permanerent. Inclitam enim illam cum cæteris laudibus ciuitatem, tùm religionis Catholicæ imprimis gloria vix credibile eſt quanto complexus ſtudio eſſet, quantumque eius cōmodis cuperet inſeruire. Teſtātur huius magnitudinem caritatis, quas poſtea ad ipſos ſocios ex Hiſpania literas dedit, cùm cognouiſſet eorum vnum vita functum, ac cæteros vna, eademque domo vetitos
» degere. Nampræter cetera ſic ait. Ego iam
» pridem poſthabui ſtudia veſtra vtilitati
» multarum animarū, ſciens multo meliùs
» proficere poſſe in aliis Vniuerſitatibus,
» quàm Coloniæ vnumquemque veſtrum.
» Sed illa fuit virtus nimij amoris mei erga
» Coloniam, vt vos periculis exponerem, &
» mallem iſtic vos indoctos, quàm alibi do-
» ctiſſimos. Vtinam verò hic zelus meus ſit
» ſecundum prudentiam illius, qui filium
» ſuum vnigenitum dedit in manus peccatorum. Dominus Aluarus nouit hunc nimis fortem amorem meum; idque vt ipſe

aliquan

aliquando putare videtur, ſuo magno incõmodo. Sed, vt iam dixi, ſic ſtat ſententia animi mei, quod libentius ſum auditurus vnumquemque veſtrũ, eloquor maxime de Magiſtro Petro, & de D. Aluaro, mortuum eſſe, & cum Magiſtro Lamberto ſepultum, quam alibi bene habere. Ex his apparet quo animo ipſe Coloniam Faber reliquerit. Optabat non modo exiguas illas copias, ſed ſocietatem ipſam penè illic adeſſe dimidiam, quæ precationum gemitibus, lacrymiſque perennibus diuinas leniret iras, & nationi illi placaret. Denique ſingulos arctè cõplexus quarto Idus Iulij recedit, illic ſui pignora amoris relinquẽs multum laborum, egregia & ſancta monita, curas, vigiliaſque perennes: ſecum autem auehens animo quidem Germaniæ viſcera, qui ſuam ſæpe animam pro ea tuenda, ac defendenda tradiderat: corpore autem præclara ſex craniorum munera ex eo, quem prædixi Virginum comitatu, quæ ſua ſponte varia Cœnobiorum liberalitas ſuis deprompta theſauris pro eximia in hominem obſeruantia, pietatéque detulerat. Louanium cum veniſſet, Cornelium Vichauæum Veras vſque comitem habuit. Ea eſt

Donãtur Fabro ſex crania ex xj. millibus Virginum.

Luſi

Luſitanarum nauium ſtatio, & maritimo aditus itinere, tridui fermè Louanio diſtans. Verùm ipſo in curſu iam Nauim defecerat ventus, & remiges dabant manus vano iam labore fracti. Qui cum Fabrum & Cornelium, inter ſe colloquentes, & muſſitantes aſpicerent, ſtomachum in eos cœperunt erumpere, & lingua increpare vernacula, quid vos, inter vos ita garritis? cur non orando ſatagitis, vt ventus ſecundus aſpiret, quo deſtituti, numquam Veras hac nocte tenebimus. Faber autem quid illi in ſe iactarent Flandro ex Cornelio cùm cognoſſet, reprehenſionem placidè ferens. Rectè monent inquit, conuertamus nos ad preces, Vix eas inchoauerant, vix Dei clementiam primis precibus implorauerant, cùm optatus ventus exoritur, & duas intra horas ludibundis pariter, & admirabundis Vectoribus, Veras appellunt: humilitatisne potius ope, an orationis ardore non facilè dixerim.

Modeſtia ac precum Fabri vis.

CAPVT. XVIII.

Res à Fabro in Luſitania geſtæ.

INde ſecundo curſu peruectus in Luſitaniam ipſis Bartholomæi Apoſtoli Natali

Natalitiis Oliſipponē appulit: hinc Eboram, vbi tunc aula verſabatur, profectus, paucis diebus ita ſapienti Regi probatus eſt, vt Rex non amplius mittere in Caſtellam, quo iam filia diſceſſerat, ſed apud ſe retinere eum virum decerneret. Excurrit Pater ſubinde Conimbricā, & inde reuerſus aduerſante autumno decidit in morbum, vnde iuſtior nata moræ cauſa: vt cum regio conſilio videretur mens etiam conſpiraſſe diuina. Dum Conimbricæ fuit, Ioannem Hunnium Barretum in Societatem adlegit, cui Fabrum ipſum diuina viſio nuper oſtenderat. Erat is magnæ, notæque virtutis Sacerdos, idemq; Abbas in prouincia nobili Minium inter & Durium amnes: cumque incitaretur vehemēter ad totum ſe diuino obſequio in Societate, quam iam Melchior eius frater inierat, dedicandum, ea auocabatur cura, quod verebatur ne contemplationis dulcedinem, in qua reponebat fermè ſua omnia, ſi Religioſæ obedientiæ iugum acciperet, retinere ex voluntate non poſſet. Hac igitur cura anxius, ignotum ſacerdotem videre ſecundùm quietem viſus eſt, cui maiore cærimonia ſacrificāt, ipſe Diaconi vice miniſtraret: cumque ad eum lo-

Luſitano Regi mirè probatur.

Ioannem Hunniū, qui dein fuit Patriarcha Aethiopiæ, diuino viſo præmonitum in Societatē recipit.

cum ventũ eſſet, quo pacis ſignum ſacerdoti ſolet oſculandum offerri, & ad dexteram de more ipſe porrigeret, Sacerdos viſus eſt innuere, vt offerret ad læuam. Qua in altercatione dum alter inſtat ad dexteram offerri debere, alter ad ſiniſtrã perſeuerat mittere, ſomno ſolutus eſt: viſumq; reputanti ſtatim ſuccurrit, oſtendere Deum, nequaquam ſibi pacem, obſequiumque diuinum in vna contemplationis dextera requirendum. Quo tamen certius voluntatis æternæ nutum exploret, certum ſacrificiorum numerum ſpondet: Virginemque Dei Matrem internunciam, atque patronam adhibet. Ecce autẽ Patrona clementiſſima deuoto clienti, dũ maximè radium cæleſtis lucis implorat, videndam ſe ſe offert, vna cum illo ipſo Sacerdote, quem ante ſacrificantem in quiete conſpexerat, admonetque Conimbricam tendat: ibique famulum ſuum illum opperiatur. Inde cogniturum, quæ ſibi impoſterum ratio vitæ ſequenda ſit. Qui cum illico paruiſſet, vbi primum Fabrum conſpexit, planeque ex figura, quæ ex gemino antè viſo comprehenſam habebat, agnouit, admiratione plenus, & gaudio, ad eius ſe pedes abie-

cit:

cit: totum ei ſuum pectus aperuit, totum ſe ſe permiſit. Et Faber poſteaquam omnia comiter audiuit: vnum hic ego monuerim, inquit, ne in ſupremi iudicij die queraris tibi non ſatis explicatum fuiſſe. Poſthac in tuo ſeceſſu, vſuque contemplationis nequaquam tu priſtinam pacem animi, & dulcedinem experiere. Dum enim illud vitæ genus ſequebare, quòd acceptiſſimum Deo putabas, is tibi fideliter obſequenti cæleſtium conſolationum copiam large ſuppeditabat: Verum, cũ iam noueris multo perfectius vitæ genus inſtitui poſſe, quo in ſancta paupertate, atq; obedientia temetipſum illi in ſacrificium mactes, tuamque operam nõ ad exigui vnius populi, ſed ad omnium mortalium ſalutẽ ex obediẽtiæ nutu deriues, plurimas hauriens ærumnas, inter ipſius vitæ verſans diſcrimina ad gloriam eius maiorem: hinc iam tibi neutiquam conſueta aderit in otio tuo tranquillitas, ſed aſſidui peruellent animum aculei, quod declines ærumnas, & crucem, & veſtigia deſeras ſaluatoris, eſca tui commodi, ac priuatæ quietis illectus. Hac Fabri oratione tanquam diuino oraculo ictus, rurſus abiicit ſe ad eius pedes, paratumque offert

ad nutum. At Faber, ſuſtine, inquit, conſilium in præſentia: ſurge, vt moris tui eſt, mediam ſub noctem ad preces, totumque te Numini diuino tradens, prouoca dæmonem, vt ſi quid poſt initam Societatem facturus tibi negotij eſt, faciat in præſens, & cuncta ſuæ prauitatis tentamenta expromat, orta dein luce ſacroſanctum fac ſacrificium, coramque horum de inſtituenda vita delibera; & id ſequere, quod eo loco decreueris. Cùm paruiſſet, inque prouocando dæmone haud parua ex lucta ſuperior euaſiſſet: inque oratione, & ſacrificio egregiis diuinæ clementiæ recreatus eſſet pignoribus, in Societatem receptus eſt. Is eſt Ioannes Hunnius, qui dein creatus Aethiopiæ Patriarcha ſanctè deceſſit in India: qui cùm ad Societatem acceſſiſſet, vetus athleta virtutis, ſtatim humilibus exerceri cœptus officiis, ita cuncta adminiſtrabat alacriter, rebuſq; in omnibus ita dicto audiẽs erat Præſidum, vt affirmaret Faber ex iis, qui iam vitæ ſpirituali inſueuiſſent, neminem à ſe perſpectum, qui tam facilè ſe alieno arbitratu fingi flectique ſineret. Neque vni huic ſalutaris fuit Fabri præſentia. Namque ſub anni 1545. initia cum ex morbo ſe recreaſ-

Ioannis Hunnij laus.

ſet,

ſet, Conimbricam ad inſpectanda paulò maiore tum otio nobilia eius collegij fundamenta,&,qua poſſet ope promouenda, ſe retulit. Incredibile propemodum dictu eſt,quanta obſeruantia exceptus ſit,quàm cupidis auribus, animiſque dicta eius exciperentur,quàm ſtudioſè ſancta notarentur exempla. Conſedit ergo in pulcherrima illa filiorum corona pius Pater ad dies aliquot, præclaris exultans initiis, & eximio omnium delectatus obſequio, moderatione animi,atque concordia. Diſcipulos noſtrates offendit ad ſexaginta pari omnes animo, voluntateque cùm in ſententia permanendi, tum ad virtutem currendi contentius. Ardebant ſtudia literarum, nec tamen in tanto literarum ardore ſpiritus erat diſciplina languidior, quin potius in diſſimili ſtudio paſſibus currebatur in eo maioribus, cui literæ ancillantur. Admouebat & nouas Faber concionum faces, priuatorumque ſermonum, probè edocens quemadmodum & literarum ſtudia Societatis ex inſtituto tractarent, & ſemetipſi tueri poſſent, ne eæ fraudi eſſent diſciplinæ virtutum: Atq; hæc quidem Faber intus non foris cùm ipſe tum Franciſcus, quem ſuprà nomi-

Res à Fabro geſta Conimbricæ ad ciuitis & Collegij profectũ.

naui, ſtrada ſacro quoque die, vel in æde Principe, vel apud votas Deo Virgines, aliiſque locis magnos per Euangelium fecere motus. Teſtabatur id præter confitentium turbam exercitia flagitãtium vis: quorum ex receſſu quamuis multi multis onuſti bonis in ſua tecta diſcederent, in noſtrum tamen numerum non admodum, multi, verum lectiſſimi quique venerunt. Quin adeo bimeſtri vix ſpatio ferè triginta, quibus antè vitæ ſuæ ratio explicata non erat, nec ſatis conſtitutum ſequenda ne ſibi Societas foret, poſtea cum Fabri in agendo ſuauitas, & ſalutaris colloquij vis acceſſiſſet, decreuerunt denique in hunc quaſi portum ſe ſalutis recipere. Quorum è numero fuit Ludouicus Conſaluius à Camera Comitis Calletæ filius, cum generis claritate, tum animi ſingularibus ornamentis iuuenis inter Academicos Conimbricenſes inſignis, qui cum pridem Lutetiæ Fabrũ nouiſſet, interius Conimbricæ ex priuata cõgreſſione viri ſanctitate perſpecta, ſtudio imitationis accenſus eſt: decreuitque nuntium prorſus mundo remittere: eo etiam cupidius Societate delecta, vt tanto ipſe magis hominum exiſtimationi, & notitiæ moreretur, quanto illa

Multi ad Societatẽ animum adiiciunt

cum

cum primùm naſcẽs erat obſcurior. Faber igitur cum tam florentẽ meſſem Conimbricæ reliquiſſet: & apud illos ciues opinionem de Societate conceptam mirum in modũ auxiſſet, Eboram ad Regis Curiam Februario ineunte ſe retulit: ſuo more it.. terens Principum limina, vt ſecum Religioſæ ſolitudinis ſecretũ aſſiduè circunferret. Quærebat nimirũ vbiq; Chriſtum,& vbiq; reperiebat. Incidit aliquãdo, cum egrederetur è regia, frequentiſſimam in equitum turmã, quæ Nobiliſſimũ Ducẽ magnificè exceptura conuenerat, cumque ad id ſpectaculũ maximus vndiq; concurſus fieret, ipſe de via, curriculoq; deflexit, dum turba deflueret,& proximam in ædẽ ſacrã ſeceſſit. Hanc ineunti ſurrepſit more hominum cupido viſendi tandem ſpectaculum illud, quod declinauerat. Quã ille commotiunculam vbi perſenſit, oculos in Chriſti ſignum Crucifixi repentè coniecit: nec modo tenuis illa curioſitatis tẽtatio prorſus euanuit, ſed ſolutus in dulciſſimas lacrymas ex intimis ſenſibus in actiones gratiarum erupit, collaudans Dominum, qui ſe ſuo dignaretur aſpectu: reputans id demum verum,& iucundum ſpectaculũ eſſe, ſi ſibi antè oculos quis conſti-

In media frequẽtia hominum Faber totus cum Deo.

tuat aſſumptam ab eo humanitatem noſtram, & in celeberrimos totius orbis terræ theatro, nequiſſimos inter latrones duro in patibulo conſtitutum. Proinde huc curioſos oculos retorquendos, hic mitigandos, ſanandoſque non oculorum modò, verum etiam aurium, ceterorumq; ſenſuum inſatiabiles appetitus: Quippe cũ infinitis ſit partibus melior huius ſpectaculi nuda cupiditas, quàm ſpectaculorum omnium, quæ ſubiecta ſunt ſenſibus, inſidioſa voluptas. Die verò ſolenni Matthiæ Apoſtoli, è ſacris craniis Virginum, quæ Coloniæ tulerat, geminum Regi, ac Reginæ dedit, ea cum præfatione, ſe amplificandi earum Virginum honoris percupidum, non potuiſſe excogitare, quemadmodum cumulatius honoraret, quàm ſi in talium Regum manibus collocaret. Gauiſi ſunt dono Principes, ipſumquemet voluerunt in oratorio Reginæ decora in arcula collocare. Vnum itẽ ſacris è craniis Conimbricam ad Collegium miſit, valde commendans, vt quãdo tantopere Chriſtus Dominus Sanctorum optat ſuorum honores, eam virginem, cuius tanto ipſi pignore dignabantur, omnibus ſtudiis, & obſequiis honorarent.

tarent. Excepere gratulatione celeberrima ſacrum theſaurum ſodales: incluſere argenteo capite,hodieque celebritate maxima anniuerſario Virginum illarum die toti oſtēditur populo, & oſculandū datur.

CAPVT XIX.

Facta à Rege Ioanne abeundi parte, Faber ex Luſitania in Caſtellam diſcedit: & vbique magna virtutis exempla, & opera relinquit.

NOn pigebat ſanè Fabrum operæ, quam ſiue inter ſocios, ſiue in aula ponebat in Luſitania,tamen in Caſtellam intentus,quo pergere eum Reuer. Pater,ſi Rex Ioannes permitteret, exoptabat, in omnem imminebat occaſionem bonam veniam exorandi. Ac denique;vt verè Societatis ſtudebat Rex, & Faber ſeriò agebat, ita is cauſam profectionis expoſuit, Rexq; accepit;vt ipſi,& vt Antonio Araozio (is erat ſummæ autoritatis Sacerdos primus Societatis poſt decem profeſſus, verbique diuini præco in paucis excellēs) poteſtas facta ſit abeundi. Non enim fidelis ille Dei ſeruus quęrebat,quę ſua eſſent: non Regnū vinciebatur fauore,vt ibi eſſet libentius,vbi humanæ plus afflueret com- *Obedientia ſincera Fabri.*

mendationis, & gratiæ. Ne præſentibus quidem retardabatur lucris animarum, vt quidam interdum ſolent, contumaci zelo,ſed obedientiæ ductum vt ſequeretur,præoptabat vel certis incerta:credens diuinæ voci conteſtanti, meliorem obedientiam eſſe, quàm victimas. Martio ineunte commendatitiis à Rege ornati literis,multumq́; moniti, vt quicumque vſus incideret, perfugium ad ipſum haberent, Patres ambo è Luſitania diſceſſerũt. Qui cum Valliſoletum (ea priſcis latinis Pintia eſt)peterent,tantiſper Salmanticę,qua iter habebant,ſubſtitere: ſuiſq́; concionibus Araozius totam ciuitatem incendere, ac permiſcere cœpit. Faber autem priuatis colloquiis, & conceptos fouebat ignes, & nouos denuo ſuſcitabat. Multæ ſe ad animorum tutelam aperiebant viæ, & laboris vndique ſuggerebatur occaſio. Tum demũ in iis Prouinciis ſocietas perſpici,quæ ad id tempus pene ignorabatur, eſt cœpta:tum à principibus Viris eius expetita collegia. Florebant ea tempeſtate in Academia Salmanticenſi ex B Franciſci familia Alfonſus de Caſtro, ex Dominicana, Franciſcus Victoria clari vtrque nominis apud ſcholas, nec pietatis ſanè

Res obiter geſta Salmanticæ.

Alfonſus de Caſtro & Franciſcus Victoria nobiles Doctores Societati fauent.

ſane minoris:Qui Fabri,quem Lutetiæ iã antè norant. Araoziiq; aduentũ non modo omni beneuolentiæ ſignificatione cõplexi ſunt;verum etiam Societatem ipſam adeo in vulgus cõmẽdarunt, vt Salmanticenſium de ea vocanda Conſiliũ, ac voluntatẽ accenderint. At Patres cum ſatis haberent in præſẽtia prima quaſi ſemina procreandarũ frugũ in tam nobili ciuitate ieciſſe, cœptũ iter proſequuti, Valliſoletum ea tẽpeſtate Regni ſedem xvii. Kal. Apr.appellunt, & pauperũ ad hoſpitiũ ſuo more diuertũt,maxime læto Fabro, quod ad finẽ iniunctę ſibi ab Ignatio peregrinationis veniſſet.Hic,antequam cubitũ iret, oranti, vt ſemper erat prompta, ſic adfuit ſolito copioſior, ac plena lacrymarum deuotio. A Deo, Beataque Virgine, ſanctiſque omnibus felicẽ noctem ſibi ſuiſq; precatur, & animabus in purgante igne detẽtis &, vniuerſis mortalibꝰ quos in hac vita dolores vlli laboresve torquerẽt:quos verò peccata obſtringerent.iis dolorẽ precabatur, vt cum Dauide lauarent per ſingulas noctes lectum ſuũ,lacrymiſq; ſuis ſtratum ſuũ rigarent. Cumque interim è vicinis cubiculis voces acciderẽt garrientium,nimiæq; licentiæ,cœpit dolere,quod

Valliſoletũ Faber, & Araozius veniunt.

Fabri pietas antè ſomnum.

ad

ad ſomnum fortaſſe ſupremum, tamque dæmonum inſidiis opportunum, tam ſe malè componerent,& conuerſus ad Deũ, Viſita inquit, quæſumus Domine, habitationes iſtas,& reliquas omnes,in quibus homines degunt, & omnes inſidias inimicorum omnium viſibilium,& inuiſibilium ab eis longè repelle: Angeli tui habitent in ipſis,qui nos, & reliquos omnes in pace cuſtodiant, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Ita diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, omnia ſunt pietatis ſtimulus,fomeſque,&pabulum charitatis: quod ſanè Faber mira conſequebatur induſtria.Paucis poſt diebus ad concionem in Principis ſacellum tendens, quia nondum ianitori notus erat, excluditur.Nihil Fabro placatius, atque modeſtius:non indicare quis eſſet: non Magnatum quos poſſet, gratiam appellare. Conſtitit antè fores cogitans ſecum,quàm ſæpè ipſe mali ianitoris functus eſſet officio quàm ſæpè malis cogitationibus, ac ſpiritibus nequã aditum in animam ſuam patefecerit: Chriſtum autem, & verba eius, ac ſpiritum eius ad oſtium pulſare, & ſtare permiſerit:tum ad Dominum mente ſublata, & Tu,inquit,bone Ieſu,veniſti in propria,

Patiẽtia, & charitas Fabri.

&

& tui non receperunt te; & quotidie venis nec reciperis. Vndique enim toto mundo, quàm malè reciperis? Cùm in hac cogitatione aliquandiu magno ſenſu perſtitiſſet, pro ſe, proq; ianitore cœpit orare illud præcipuè, ne antè fores Paradiſi diu in Purgatorio igne expectare contingeret Quæ & alia multa cum animi ſuauiſſima compunctione cum occurrerent, augebãt vehementius erga ianitorem illum amorem, ac beneuolentiam, qui ſibi tantæ pietatis cauſam præbuiſſet. Ad extremum illud optauit ac rogauit à Deo, ne vnquam eiuſmodi, aut grauiores repulſæ, iis qui futuri de Societate eſſent detrimentum vllum virtutis afferrent, quod vt ipſemet loquitur, ſolet contingere impatientibus, ac ſuperbis. Hac præparatione animi Faber, vnaque Araozius commendatitiis Luſitani Regis epiſtolis, & Luſitanorum Procerum haud minus benignos, quàm expeditos aditus ad Philippum Principem, & Mariam coniugem nacti ſunt. Ab his primi comiter excepti, poſtea etiã per otium ad colloquium inuitati, facilè ſenſere latiſſimum ex eorum benignitate tota in Hiſpania campum explicari laboribus ſuis. Tradidit eis quoque Faber capita

Philippus Princeps, & coniux Fabro, & Araozio fauent.

ex xj. millibus Virginum: quę quamquam magna ſunt veneratione ſuſcepta, ægrè tamen ille tulit, quod non pariter, vt in Luſitania, Oratorio eodem ſunt condita.

CAPVT XX.

Illuſtratur Societas tota Hiſpania Fabri & Araozÿ præclaris laboribus, & exemplis: & multum pietas publica promouetur.

TAntorum itaque Principum nixi præſidio, ſed multò magis Dei, quo maior in alias mox Hiſpaniæ oras aperiretur ianua, Valliſoleti primum, & in ipſa Curiæ luce, ſocietatis exequi munera eamque velut penicillo adumbrare rebus ipſis inſtituunt. Itaque & in templis, & in foris, & ad populum frequenter agere, crebro Chriſtianis rudes, pueroſq; moribus, & inſtitutis imbuere: crebro Noſocomiorum, in quibus etiam pernoctabāt, publicique carceris limen terere: ſemper promptas aures habere confitentibus. Qua ſtudiorum aſſiduitate, varietateque munerum, cateruæ videlicet hominum velut graui excitatæ veterno, & ad aſpectum nouæ lucis, & ad deponenda peccata

cata conuolabant. Et ſcilicet earum fama rerum publicis è plateis in Curiam, & ex Curia in omnem penè tranſuolabat Hiſpaniam; vt multis eſſent & admirationis materia pariter, & ſermonis. Aiebant aliqui Vallitoleti Ignatianos ſeu patria voce Igniquiſtas: quidam autem Papiſtas (nam Papæ, ſedique Apoſtolicæ præcipuo eos voto deuinctos iam fama vulgarat) apparuiſſe. Nec pauci ſimilitudinis errore decepti Theatinorum eos vocabulo, quorum paulò ante ſacer ordo haud diſſimili cultu ſurrexerat deſcribebant. Quidam verò, quoniam nihil, eorum in ore reſonabat, & apparebat in opere, niſi morum conformatio; cætera haud multum à Clericorum ritu diſtabant; malebant eos, vt multis etiam locis in Italia, Reformatos clericos appellare. Nec deerant, qui cum forte altius de Patrum virtute ſentirent, dictitarēt eos eſſe Apoſtolos Magni Dei, qui ruentibus ad tartarum animis tempeſtiuas porrigerent dexteras. Erant tamen omnium iudicia iudicio Curiæ, & euentuum expectatione ſuſpenſa: Nec audebant in vulgus vitio vertere, quod conſentiente regio Principe gerebatur. Is autem eo pergebat alacrius præclaris Pa

ris Patrum fauere cœptis, quo eorum manabat latius & fructus vbertas, & opinio virtutis. Cuius honeſtiſſima de ſocietate, iudicia ipſa quoque Curiæ lumina, vt conſimili eos honore colerent, admonebant. Iam qui Principis arcanis præerat, is ad ſacras confeſſiones Fabrum ſibi delegit; quem & ex regio concilio, & ex prima nobilitate ſecuti ſunt multi. Primas autem ex fautoribus obtinebant Cardinalis Toletanus, Ioannes Tauera, ſumma integritate, ac ſapientia vir, quem Philippus ipſe propter conſilij prudētiam, atque fidem verebatur, vt patrem: & Bernardinus Pimentellus Marchio Taueræ, qui & Fabrum ad confeſſiones adhibebat: deinde Apoſtolicus Nuntius Pogius, cui in Germania plurimis iam pridem experimentis perſpecta fuerat Fabri virtus, & induſtria laborum, nec alio à confeſſionibus vti placebat. His accedebant alij complures auctoritate, gratiaq; præſtantes. Quibus Faber opportunè vtens præſidiis, etiam ſparſas in vulgus de ſocietate calumnias è primis illis B. Ignacij in Hiſpania vexationibus, & aliis deinde alibi enatis procellis, omni ope conatur elidere: vt cohortis huius pro ſalute animarum dimica

Pracipui Societatis in Hiſpania naſcentis fautores.

re:vt cohortis huius pro ſalute animarum dimicationes,tanto eſſent validiores,quãto acies melior ipſis telis è ſecunda fama, ponduſque ictibus ex auctoritate maius accederet. Imploraro igitur antè omnia Dei,ac Beatorum præſidio,& Angelorum præcipuè eos curantium,cum quibus agẽdum eſſet, de cetero obloquentium ora minimè reformidans, vltro conuenit vnumquemque;& de ſuis ſtudiis, inſtitutiſque reſpondet.Quo etiam nomine nobilibus quibuſdam Luſitanis plurimum debetur, qui Mariam Principem ex Luſitania comitati, & in eius perſeuerantes Aula, non ad alios ſe in Hiſpania curandi animi cauſa,niſi ad Fabrum, & Araozium adiunxerunt: cæteris ſuo exemplo commonitis, vt omni ſuſpicione depoſita tuto Patribus ſe committerent: Illud inſuper Curiæ teſtati, Societatem in Luſitaniæ regno, totiſque ferme indiis non Eccleſiæ modo, Religionique, verùm etiam publico otio,tranquillitatique mirificè profuiſſe. Quod ſanè teſtimonium recentiſſimæ Xauerii literæ, Prætoriſque indici maximè confirmarunt: quæ à Luſitano Rege miſſæ, & de ſuggeſtibus in concione perlectæ, mirum eſt quantum in hominum

Inſignis profectus in virtute multorum Hiſpaniæ procerum.

pectoribus ardoris iniecerint. Certabat cum plebe nobilitas, Principes cum priuatis in ornatu morum, cultuque iuſtitiæ. Delectabant Philippi, Mariæque coniugis incenſa ſtudia, qui dum & ſuis, & alienis animis conſultum volunt, omnem ſui adeundi copiam Patribus faciebant: & quicquid in eam rem opis expeterent, porrigebant. Quorum etiam in gerendis rebus animaduerſa prudentia, integritateque non dubitabant ad grauiſſimas vti cauſas: vix vt interdum populo mos, qui frequens vndique ex omni genere confluebat, geri poſſet. Ipſe Ioannes de Zuniga, qui Philippo erat quaſi morum magiſter, ac cuſtos, eiuſque coniux Stephania Requeſenſis Patres frequenter adhibebãt, cum eiſque de animi ſalute auidiſſimè conferebant. Aluarus verò de Corduba regij ſtabuli Princeps eorundem vſu, colloquiiſque adeo ſe pietate ſtudiis, & charitatis addixit, vt eius vxor Maria Aragonia, par pietate femina dictitaret ſé ante Patrum aduentum aulico fuiſſe equiti, poſtea rari exempli equiti collocatam; qui rectè factis inſiſteret, & confectis quotidie ſuis cum Philippo negotiis in interiùs

concla

conclaue ſe abderet, aut ſi fortè verſaretur in Pardo, regium id erat nemus(opacæ arboris latebram quæritaret : vbi ſe de more ad orandi munus,ac penſum referret. Præcipua Aluari exercitatio caritatis in proximos erat, eaque de cauſa in valetudinario,vbi & ægrotis ſuis manibus miniſtraret,& eorum indigentiæ conſuleret, multus & frequens erat: primiſque ſe intendentibus tenebris, vna cum equitibus aliis, quos eius excitarat exemplum, ſe ſe ad Noſocomium ſublatis in humeros culcitris conferebat, vt Chriſto in ſuis minimis lectum ſternerent. Nihil his inferior erat Ferdinandus ſylua Comes Ciſontanus, magno apud Carolum loco, à quo & filiarum cuſtos, quas infantes appellant, & totius illius Curiæ quaſi magiſter eſt factus. Is eam de Patribus opinionem hauſerat, vt cum ad eos adiret, illud ferè haberet in ore, Conferamus nos ad hos clericos ſanctos; ab eiſdem voluit ſcriptis ſibi tradi precandi viam, & ſui pectoris diſcutiendi præcepta. Confluebat ad Xenodochium, quo Patres primò diuerterant, tanta hominum vis tùm cæterorum tùm procerum, vt amicorum rogatu coacti

ſint ſedes illas pauperibus cedere, & in alias ipſi paulò commodiores, quas eis Princeps inſtruxerat, immigrare.

CAPVT. XXI.

Faber Madritum, & ad alia loca excurrit, & Valliſoleti Collegij ponit initia.

NEc verò Valliſoleti modo eorum ſe nauitas continebat, ſed bona Principum venia Madritum Faber excurrit, vbi Caroli filias, ijs iam æquè notus ac charus inuiſit. Apud has verba fecit, & ad paratas meditationes haud inuitas admiſit. Hinc Faber ad Cardinalis Toletani ditionem, quem Madriti reliquerat, flexit quibus locis quòd tribus ferè antè annis induſtriam in defendendis animis ſingularem oſtenderat, hoc nunc auidius ab vniuerſis excipitur. Hic re bene gerenda cupiditatem Societatis cùm alibi paſſim, tum Toleti, vbi ad excitandum Collegij decus multorum ſe benignitas obtulit, incitauit. At Faber, qui prius in ipſa Regni ſede, quàm vſquam alibi vberioris ſpe fructus collocare Societatem malebat, ſatis habuit in præſentia prolixam Toletanorum voluntatem in poſterum confirmare,

confirmare, & haud inani ſpe data Valliſoletum Iunio exeunte ſe retulit. Quippè viſa Principibus ac proceribus diuturnior optati hominis abſentia; reuerſoque ſeuerè mandatum à Curia in poſterum ne diſcederet. Interim multæ ciuitates ſtudio Societatis accenſæ eam, ad ſe ſe per literas euocabant. Quarum ne contemnere Faber preces ac Vota videretur, Ignatio vrgente, præſertim vt inchoati Valentini Collegij haberetur diligens, ac potior ratio, Araozium ad eas deſtinat. cuius ciues Valliſoletani diſceſſum, autoritate Principis interpoſita, impedire conati, nihil ſaltem profecerunt. Nec enim exorari cauſa cognita Princeps potuit: gauiſus potius tot ex partibus Societatem acciri, quàm vti vni loco eſſe iuberet affixam. Interim illi ex Maria coniuge Carolus Naſcitur Kal. Iulij, cuius partus lætitiam mors funeſtiſſima Parentis (quæ rerum humanarum inconſtantia eſt) paucis diebus extinxit, vndecima videlicet à partu luce, quanto omnium mœrore, fletuque, quanto Principis luctu, cui chariſſima, & verè coniux erat, quid attinet memorare? Ingenti quoque ſi ſenſum hominum ſpectes, noſtri cætus

Maria vxor Philippi Principis moritur.

incõmodo,cuius illa fauebat initiis : quã-quam vel inde admonebamur, haud humanis,ſed diuinis nitendũ eſſe præſidiis. Quod optimè Faber intelligens, diuinum opus nihilò ſegniùs perſeuerauit vrgere. Complures de primariis, Epiſcopiſque ad exercendam de more mentem, quòd paulò ante videbantur horrere, mira comitate perduxit. Quos & medij homines imitati complures, in alios repentè viros,magno aulæ miraculo commutati ſunt, aliis aliud ſalutis iter ingreſſis,& expetentibus ſocietatem, non paucis.Extra Curiam verò, dum in Euangelio ſuæ non parcit operæ, penè innumeros parit Deo : vt ipſemet nonnunquam admiratione perfuſus, benignitatem tam clementis numinis erubeſceret, quæ ſuos non aſpernata labores, tanta fœcunditate donaret. Ac ne tam proſpero efferretur euentu, modeſtiæ cauſa dictitabat niſi olim in terris iis Ignacij calamitates & tempora præcurriſſent, meritò ſe potuiſſe tam ſecundùm Hiſpanienſis rei curſum habere ſuſpectum, vt qui iam vſu didicerat, quod beatus Marcus Anachoreta prodidit,Deum explorata indignitatis noſtræ ratione

Res Fabrũ ſecũdiſſima cõſolãtur pregreſſis olim Ignatij procellis.

ratione pleraque hominibus auxilia conſueuiſſe præuia calamitate conferre. Sed quoniam partam tueri prædam vix vnus poterat (nondum enim quibus cum ſuas diuideret curas habebat) conſilium cœpit vt ex multis, quorum corda inter exercendum tetigerat Deus, optimum quemq; deligeret, & in ſocietatem adſcriberet. Nam haud ita pridem Sacerdos quidam Iacobus Mendius, & alij quatuor daturi nomen acceſſerant, quorum explorare iam Faber animum miris modis, & ſaluberrimis experimentis inſtituit. Hunc numerum alij auxere mox quatuor: vt iam delecta familia præter commune tectum, vbi ad religioſam normam dirigeret vitam, nihil vltra requireret. Commodum Philippus Princeps extincta cõiuge Valliſoleto Madritum cogitabat, cùm Faber non cunctandum ratus, de conſtituenda in ea vrbe domo Principis ante diſceſſum agere per opulentos viros inſtituit: tulitque celeris induſtriæ fructum: domicilio confeſtim ad initia, & alimentis inuentis. Hæc defuerunt qui largè oblata pecunia ſacram ædem inchoare percu-

Cooptat in ſocietatem nõnullos vnde fit initiũ Valliſoletano Collegio.

perent. Iacuit tam piis conatibus præter ceteros Eleonara Maſcarenia, quæ & Philippi pueri curam geſſerat, & Caroli nuper nati gerebat. Ea Fabrum, priuſquã Madritum infantem aueheret, vt ei benediceret, ac bene precaretur accerſiit: tantique apud eam & Fabri Sanctitas, & Societas erat, vt meritò Ignatius quaſi Parentem Societatis appellare conſueuiſſet. Ex his initiis magnitudo Vallιſoletani Collegii, quam hodie cernimus, & Profeſſorum Luculenta domus extitit. Faber autem ex his, quos delegerat Sociis, eos modo, quos ſenſit idoneos, ac nominatim Iacobum Mendium, Ioannem Conſaluiũ, & Hermetem flandrum Valliſoleti reliquit: reliquos Madritum ſecum, vbi domicilium eis parauerat Princeps, abduxit. Hic commendatis beato Ignatio per literas Germaniæ partibus, quarum pro ſalute ſuperioribus annis adeo ſudarat, & alſerat, præclaros animi ſui impetus ad omnem laborem pro Hiſpaniarum quoque ſalute renouat.

Eleonaræ Maſcareniæ in Societatẽ pietas.

CAPVT

CAPVT XXII.

Rebus optimè geſtis in Hiſpania Romam accitus moritur.

INterim annus Domini 1546. obrepſerat: annuſq; iam vertebatur, quē Ignatius ei determinauerat commorationis ad aulam Hiſpanienſem. Itaque ſtudioſus obedientiæ filius cum ſumma animi æquitate, & præparatione ad omnia ſubmonet Patrem, noua vt edat iuſſa: adeo non fatigatus incerta illa vita ærumnoſa & vaga, vt nominatim ſe ad peregrinationem perpetuam offerat, ſiue ad ſocios vbicumque terrárum agerent, viſendos; ſiue ad præcurrendum in omnem Ciuitatem, & locum, quo ſocietas eſſet aliquando ventura, vt prepararet vbique, aut certè optaret ſecuturis quietas ſedes, vbique carens ipſe domicilio, & quiete. Nec ſanè tam difficile erat materiam tali dignam induſtria reperire, quàm cum vndique accerſeretur, vndique temporū difficultates maximę præſentem hominis opem flagitarent, arduum erat decernere, quæ cui præferri deberet neceſſitas. Luſitano Regi ſpes affulſerat interioris Æthiopiæ, vaſtum imperium ad ſacra catholica

Obedientia Fabri

Faber à Rege Luſitano Patriarcha Æthiopiæ nominatur.

reuocandi Præteiannem in Europa vulgus appellat gentis Imperatorem: gens Abaſſina eſt, Chriſtiana profitentur ſacra: ſed erroribus ſcatent, & à Romano capite dudum exitiali auulſis chiſmate. Patriarchę parent, quem Cophtorum Patriarcha Alexandrinus miſerit. Ceterùm hac tempeſtate Claudius Imperator ſpem fecerat recepturum ſe Patriarcham, quem ſummus omnium Eccleſiarum Antiſtes Romanus Pontifex deſtinaſſet. Qua ſpe cõmotus Ioannes Rex, cum ei Pontifex, vt cui cum Abaſſino Principe commercia intercedebant, permiſiſſet, vt virum tantæ moli parem, reuocandæq; ad rectos cultus Æthiopiæ idoneum nominaret, vnum ex omnibus pro perſpecta ſumma hominis ſapientia Petrum Fabrum popoſcit: iuſſitque ſuum in Vrbe Oratorem curare, vt Pontifex autor fieret; ac pro poteſtate, ne honoris ille nomen refugeret, Fabrum ad cathedram illam adigeret. Eodem hoc tempore Paulus ad Cõcilium, quod Tridentum edixerat, præter Lainium ac Salmeronem tertium è Societate Theologum poſtulauit: in eamque rem Ignatius multum per ſe, ſocioſque qui Romæ erant, rogato Numine, vt, quod eſſet optimum,

mum, demonſtraret, Fabrum eundem acçerſit. Nihil is habuit moræ. Sed dum tot gentes, plagęq́; terrarum de illo viro certant, Victoria cœli fuit. Quæ autē per eū in Curia priuſquã diſcederet, Deus egerit, in iis præſertim qui columnæ videbantur in aula, ea Araozius, cum ad Ignatiū ſcribit, ſanè prædicat admirãda. Nec dubitat, quin, ſi ceteris ille ſit ita perſpectus, vt ſibi, qui eo miſer carere iam debeat, gratias acturi ſint Deo, quibus tanti liceat frui Patris aſpectu. Ait animam illam eius eſſe refertam miſericordiis, qui & Pater miricordiarum, & totius conſolationis eſt Deus, ſancti viri abitum, quoniam plurimæ nobilitatis in ſacris erat confeſſionibus auditor, plurimæ quoque ſubſecutæ ſunt lacrymæ. Abiit laboribus penè fractus: & Barcinonem verſus, vbi & vires reficeret, properabat. Gandiam ex itinere cum veniſſet, exhilarauit ſua præſentia Franciſcū Borgiam Ducem eo tempore, poſtea noſtræ ſocietatis religioſum, ac tertium eius Præpoſitū generalem. Sed iam tum cum honore Ducis, ac munere vitam Franciſcus agebat ex Euangelicæ perfectione ſapientiæ. Itaq; magnopere cōgreſſu eius, ac ſpiritu viciſſim delectatus eſt

In Italiā reuocatur ad Conciliū Tridentinū mittendus.

Faber

Gandiæ ponit fundamenta Collegij.

Faber. Collegiũ Dux inſtituerat, in quo omniũ primo:in Europa docere Societas literas cœpit. Andræas Ouiedus præerat, magnus & ipſe vir, qui poſtea decretum Fabro Patriarchatum gerens cum præſtantis nomine ſanctitatis, in ſumma omnium rerum inopia (non enim qui ſperabatur exitus rerum euenit) ne paucas curæ ſuæ creditas deſereret animas, quamuis per Pontificem abire liceret, deceſſit in Æthiopia. Huius, & Ducis rogatu, cùm ædificatio Collegij inchoaretur, primum in fundamenta lapidem Faber iecit:quod illud Collegium ſemper pro ſingulari decore, ac pignore numerauit. Inde profectus, Barcinonem vbi attigit, æſtuare febribus cœpit. Dumque ne ipſe quidem in confeſſionibus, ac concionibus parcit ſibi, ſed honeſtæ quoque piget quietis, & otij, cui ſatis exhibebat tertiana negotij, ſerius conualeſcit, ſeriuſque in vrbem intrat. Feruebant iam caloribus omnia infeſto caniculæ ſigno. Nec probabat R. Pater eo articulo in vrbem ingreſſum. Sed cum adhibiti in conſilium Patres contra cenſerent, vimque eleuarent diſcriminis; vti his Ignatius, ita Faber vtriſque pio, ac cæco quodã obtemperandi ſtudio ceſſit.

Barcinone ægrotat,

Romam

Romã, quo non raro vel valentibus mordente ſidere peſtifer eſt acceſſus, imbecillus, ac prope æger accedit. Exhilarauit omnes tanti Patris aſpectus; de quo, dum octauum iam prope annum tam longè, lateque peregrinatur, tam multa audierãt. Exhilarabant inde magis ſpirantes Deum voces, & exempla vitæ conſentanea famæ. Geſtiebat verò gaudio & ipſe, tum Ignatij adeo ſibi cari, venerandique Patris vſu fruens, tum gratias Deo agens de ſocietatis incremento, quod ſancta in vrbe reperit: deque pietatis diſciplina, quæ in illa quaſi totius ſocietatis parente domo florebat. Sed gratulatio breui vertit in luctum. Octauo die tertiana corripitur duplici: ex eaque octauo item die qui Dominicus fuit, cum ſacroſancto Viatico eodem die mane; poſtea ſacro oleo ritè munitus eſſet, ſub meridiem multa, quæ vitæ & anteactæ ſanctitatem, & ineuntis beatam æternitatem declarabant, argumenta relinquens, ad Dominum emigrauit. Cecidit præcipuum ſocietatis columen, & cunctos ſocios mœror ingens inuaſit. Ipſe vero B. Pater Ignatius, quo putas animo cariſſimi ſodalis occaſum tulit? Si mortui bonum ſpectes, non niſi æquo, quem ex mediis

Romam venit.

Sanctiſſimè moritur.

mediis laboribus in illam requiem exceſſiſſe ſine dubitatione credebat: ſin autem ſuum, & ſocietatis commodum, non niſi ægro: quoniã carebat eo, quem ex cunctis ſociis principem Chiſto genuerat: deſiderabat ſingulare virtutis exemplum, requirebat hominem ad res gerendas nauum, diuinæque gloriæ percupidum, ſitientiſſimum alienæ ſalutis, in ipſa ætatis, rerumq; gerendarum maturitate ſublatum. Quæ, & alia ſanctiſſimi viri ornamẽta diſtinctius volumen proximum exequetur. Conditus eſt in æde Profeſſorũ veteri, cui ſancta Maria à Strata nomen erat: ſed qua in parte vt internoſcatur à ceteris, adhuc quætitur. Multis enim ædes illa amplificata, commutataq; modis, tandem Farneſianæ Baſilicæ funditus ceſſit. Obiit anno ſalutis humanæ 1546. Kal. Auguſti, quem diẽ Apoſtoli Petri vincula, cuius nomen ipſe ferebat, exornant: à confirmata ſocietate ſexto: ætatis autẽ ſuæ quadrageſimo, & quatuor ferè menſibus. Quem decennio poſt, pridie Kal. menſis eiuſdẽ ſequutus Ignatius eſt, vt quam virtute, & caritate proximus fuerat Patri filius, tam eſſet beatæ vitæ natali.

Ignoratur corpus Fabri.

Libri prioris finis.

PETRI FABRI VITÆ,

LIBER POSTERIOR.

CAPVT I.

Pietas Fabri.

CVm multa eaque præclara in Fabrum à perenni illo bonorum omnium fonte congeſta ſint, dona atque ornamenta tum in eo præcipuè quinque ſanè admirabilia mihi videri ſolent, quæ præter ceteros clarum illum atque inſignem vbique reddebāt. Primum eximia quædam & ſingularis pietas: deinde par humilitas ac modeſtia: tum flagrans charitas cùm diuinæ gloriæ, tum humanæ ſalutis: admirabilis præterea prudentia partim in conuictu, atque congreſſu, partim in erudiendis ad iuſtitiam multis, animiſque tractandis: denique inſignis quædam religioſæ vitæ laus nullis adiuta clauſtris, nullis mutuæ diſciplinæ ſuſtentata præſidiis, ſed medias inter

Quæ virtutes in Fabro præſtātes.

inter aulas, medioſque inter cœtus liberæ multitudinis. Ac pietas quidem in eo fuit eiuſmodi, vt non horum morum, ac temporum, ſed Apoſtolicæ, ac priſcæ potius videatur Eccleſiæ: quæ cum ad omnia valet Paulo teſte, tũ ad inflammandam maxime concionem. Nam cum tribus rebus, vt Nazianzeno placet, concionandi munus difficile videatur: aut quia arduum eſt res diuinas mente, & cogitatione cõplecti; aut quia, quę rectè cogitaueris non continuo eloqui, ac verbis aſſequi pro dignitate potes; aut quia difficile, & rarum eſt perpurgatas nanciſci aures, quibus ea, quæ dixeris perſuadeas: ſingulis his difficultatibus ardor pietatis occurrit, & eas omnes extenuat, atque exhaurit, Nec enim aut quiſquam melius de Deo ſentit, & quæ diuina ſunt percipit, quam qui Deo totum ſe ſedidit: nec quiſquàm melius effert, & oratione conſequitur, quàm quem eadem incendit pietas: nec quiſquam acrius auditorem percellit, inflammat, & quocumque vult, flectit, quàm, qui incenſus ipſe, inflammatuſque ad dicendum accedit. Iuuere Fabri pietatem, primùm egregiè pij parentes, à quibus ſic educatus eſt, vt, quemadmodum principio

1. Tim. 4.

In Apol.

Pietas neceſſaria Apoſtolico operario.

Quæ iuuerint Fabri pietatem.

principio diximus, iam inde à puero,conſcientiæ ſentire clamores,& quaſi morſus inciperet: ſeptimoque circiter ætatis anno,quoſdam etiam pietatis igniculos, & peculiares (vt ipſe de ſe ſcripſit) inſtinctus ad deuotionis affectum. Deinde ad educationem domeſticam acceſſit optima inſtitutio Magiſtri Petri Veliardi,quem poſtea vita functum Faber conſueuerat,tanquam vnum aliquem de Cæleſtibus inuocare. Adiuuit ingens quidam, ac penè immoderatus ardor ad ſtudia;quem multis idemmet ſcribit frenum fuiſſe delictis. Interiores etiam quaſdam ſolicitudines, ſcrupuloſque de admiſſis in vita noxis, & permoleſtos angores,quibus exerceri plerumque ſolent, præſertim initio,ij qui virtutis in ſtadio, curriculóque verſantur, vehemens ſibi fuiſſe calcar ad pietatem fatetur: nec permiſiſſe vt in quærendo Deo, orandoque torperet. Quas quidem nimium religioſæ conſcientiæ querelas, ac ſtimulos vſque ad Pariſinæ vrbis egreſſum poſt initam cum Ignatio ſocietatem extremo ſuæ pacis, tranquilitatiſque perfugio,ſe tuliſſe commemorat. Cumulauit hanc adminiculorum copiam Ignatij, & Xauerij in eodem contubernio ſocietas.

vbi, dum ſe ſe omnes tot annis viciſſim acuunt, Fabri pietas peruenit ad ſũmum: planè vt intelligas oportuiſſe eam, non fuiſſe vulgarem, nec in quadam mediocritate verſatam, quæ tot à Deo ſubminiſtratis adiumentis, veluti quibuſdam flabris, in eius eſſet excitata præcordijs. De ea igitur pluribus eſt dicendum: cuius ille nobis non exempla modò, verùm etiam præcepta complura ſanè ſalutaria reliquit. Sed ea ipſa planiùs intelligetur, ſi quibus potiſſimùm rebus contineretur, oſtendam.

CAPVT II.

Grati animi laus, in Fabro ſingularis.

EA verò cum in grata quadam Diuinæ beneficentiæ recordatione, tum in accuratæ precationis ſtudio, & aſſidua proficiẽdi ſolicitudine verſabatur. Quem enim non delectet gratus ille, & memor animus Petri Fabri, cum breues illos, ſed verè pios commentarios, quos de rebus ſuis quotidianis ſcripſit, euoluit. In ijs ille ſe nobis expreſſit, & eo conſilio conſcripſit, ne quid acceptorũ à Deo munerum

elabere

elaberetur è mente: ſed eis retractandis, ac relegendis ad gratiarum excitaretur actionem, ardentemque amorem tam benefici Patris. In eos ille ſanctiſſimam Parentum educationem, religioſam Magiſtrorum inſtitutionem, diſciplinam ſancti Spiritus, per interiores quoſdam angores, ſolicitudines, timores: In eos ſuas progreſſiones ac gradus, repentinos in Deum impetus & amores, cœleſtes dulcedines ac voluptates: in eos pręclara quædam lumina, animique ſenſa diuinitùs hauſta, omnem pietatis experientiam, omnem Diuinæ prouidentiæ tutelam; omnia denique à Deo in ſe profecta munera, ac beneficia, quoad eius fieri poterat, referebat. Nec modo magna, verũ etiam minima, ac tenuiora beneficia; ſi tamen minimùm, tenuèque dicendum eſt, quidquid ex liberali illa Dei dextera, tam immẽſo amore profertur: nec priuata ſolùm vt multi, verùm etiam communia, vt pauci, & quæ ſpectant ad vniuerſos ea perinde, ac ſibi vni collocata grata memoria recolebat. Haud ignarus, non minùs propter illa, quàm propter hæc diuinæ ſe liberalitati debere ac dolebat in id genus beneficijs, non animaduerti ipſam

Commetarii, quos de rebus ſuis reliquit, quales ſint.

In communibus beneficijs quid conſiderandum ad grati animi incitament[um].

benemerētis Dei voluntatem. Nam inter homines id vſu venire, vt quod quiſque operis moliatur, in eo cæteri attenta inſpiciant mente, ecqua ipſorum habita ratio ſit: ecqua memoria, & cogitatio fuerit: quàm honorificè, quamque beneuolè ſint accepti. In donis autem, muneribuſq; diuinis raro quemquam mentem aduertere ad æternam illam optimi illius, & maximi Principis voluntatem, ad illudq; placitum charitatis, & dignitatis immēſæ, quo in ſuis operibus maximis, in condendo mundo, in redemptione gentis humanæ, in cæleſti gloria præparanda priuatim, nominatimq; ipſum reſpexit, ac tantopere honorauit. Quæ & alia ſenſu Faber reputabat gratiſſimo, & habebat in ore, in quouis Dei munere tria præcipuè ponderanda, quis, quid, quo ſtudio largiretur. Inde enim fore, vt nullum non magni æſtimaretur. Atque hæc nimirum cauſa eſt, cur beatus ille animus tanta vndique diuinorum munerum copia redundabat: quia cum ſit Deus bonitatis pelagus inexhauſtum, non poteſt eius liberalitatis fons exareſcere, vbi memorem & gratū animum quo ſe effundat & deriuet, inuenit. Idcircò tā ſalutaris inter homines vox Fabri fuit,

Grati animi fructus.

tam

tam certi, frugiferiq; labores, tam opportunæ, ſolidæq; vigiliæ: quia dum in animarum præda, atq; ſalute ſuæ laudi nihil aſſumit, nihil arrogat; ſed diuinæ gratiæ vniuerſa, vnde illa manabant, fideliter reddit, non poterat illa Maieſtas, quæ gloriam ſuam nemini dat, non eius contentionibus prolixe fauere, quem humanæ gloriæ viderat contemptorem, non diuinæ raptorem. Aiebat diuina illa beneficia, quæ nobis, nec petētibus, nec ſentientibus conferuntur, ea imprimis gratis animis agnoſcenda; quale eſt, inter Chriſtianos, & Catholicos naſci, & per Eccleſiæ fidem atque parentum cum luce in lucem ſuſcipi. Deplorabat & ſuam, & cæterorum hominum in retractandis tot Dei donis incuriam: eamq; ſacrificiorum procuratione nonnūquam piè, ac nauiter expiabat. Vt enim in ſe, ſic in aliis hunc memorem animum adamabat, immemorem non ferebat. Cōmouebatur animo vehemēter, quod cùm tam multis variiſque modis ſe ſe ei diuina bonitas largiretur, non iis quoque totum ſe ſe Deo dederet & effunderet. Itaque ex hac perpetua diuinorū recordatione munerum replebatur os eius laude, & mens eius noua ſemper excogitabat argumenta

Præcipua agenda gratia de beneficiis occultis.

Faber gratias agit Deo, de publicis pœnis, & calamitatib.

gratiarum. Gratias etiam putabat agendas eaſque agebat ex animo diuinæ Majeſtati, pro publicis animaduerſionibus, atque ſuppliciis, pro annonæ charitate ac famæ, pro armorum ſtrepitu, atque bellorum, pro terrarum motibus, & eluuionibus, pro peſtilentia, pro vaſtitate, pro alijs denique eiuſmodi cœleſtis iræ flagellis: dolebatque vehementer, quod ea homines non agnoſcerent, nec in Dei beneficijs, qui ea diſciplinæ gratia immittit hominibus, numerarent. Hæc autem grati animi laus à Deo profecta, ipſos quoque ad homines à quibus beneficium aliquod acceperat, pertinebat. Nec enim facilè inuenitur, qui cum ſit gratus in Deum, non in homines gratum, memoremque ſe prębeat: & fieri plerumque videmus, vt qui minùs gratus in homines eſt, minùs etiam gratus reperiatur in Deum. Ergo Faber à quibus aliquid aliquando cõmodi, & beneficij acceperat, erga eos præcipua quadam grati animi memoria commouebatur; preceſque ijs pro referenda gratia ſanè officioſas, ac ſedulas repẽdebat præſertim, qui ſibi fuiſſent aliquando cuiſpiam Diuini muneris adminiſtri, vt qui baptiſmum, vel Chriſma, vel ſacros Ordines,

Gratiſſimus Faber ẽſt aduerſus homines.

vel

vel Diuiniſſimum Sacramentum, quæ pauci iam in beneficijs numerant, contuliſſent: iis item, qui Confeſſarij ſibi, Magiſtrique vllo vnquam tempore fuiſſent. Neque has gratiarum actiones ſuo tantum perſoluebat nomine, ſed etiam ſociorum, ac fratrum omnium, cupiens in Domino ſupplere hac in re vicẽ eorum ſicut ipſi ſuam ipſius in multis ſupplerent, tanquam membra de membro. Cupiebat autem omnes qui aliquo modo de ſe bene meriti eſſent, gloria potiri beata, vt dignus fieri, qui omnibus illis, quibus in hac vita obnoxiùs aliquo modo fuerat, glorioſa quadam ſeruitute, etiam eſſet in cœlo, ſubiectus. Tam nobile, tamque generoſum ei pectus, Chriſti charitas à primò finxit. Quin etiam, pro ipſis quoque beatis hominibus, proque Angelis plurimùm Deo gratulabatur aſſiduè, perpendens animo beneficia in eos profecta diuinitùs: & ſigillatim magno ſenſu gratias de ijs eorum nomine agens. Quod ſanè officium pro immenſo illo agendarum gratiarum debito, quo ſeſe obſtrictos, ac penè oppreſſos Cælites vident, haud dubiè ipſis gratiſſi-

Gratias agit Deo, de donis in alios omnes collatis.

Nota pulcherrimum ſtudium.

mum accidit, ac nobis eſt ſummè frugiferum. Deniq; nullum erat in quemquam diuinæ documentum beneficentiæ, cuius non ſe debitorem arbitraretur. Quicquid cuipiam bene eueniret, vice cuiuſque, vicarius omnium, proſiliebat illico ad benedicendum. Quicquid videret, audirétve lætum ac proſperum, in eaſdem voces erumpebat confeſſionis, & laudis. Cùm villarum amœnitatem, agrorum fœcunditatem, Oliuetorum ſpeciem, vinetorum pulchritudinem oculis peregrinando luſtrabat, erecta protinùs ad Deum mente pro poſſeſſoribus, ac dominis grates agebat: & pro eiſdem petebat veniam, ſi fortè ſui largitoris obliti, velut abiectæ ad pabulum pecudes vnde bona illa acciperent, non ſentirent. Erat hoc ex amantiſſimo illo Doctoris gentium pectore expreſſum exemplum, qui iubebat in omnibus gratias agi: qui in cunctis penè epiſtolis gratias teſtatur ſe Deo perpetuas agere pro iis, ad quos ſcribebat: haud dubium, quin & pro aliis ageret, cum debitorem ſe omnibus prædicaret. Et verò, ſi grata memoria pro ſuis cuiuſque beneficiis tam accepta eſt Deo, vt nuper admonui, perpetuam ſanè

Quàm ſalutare & nobile ſtudium agẽdi gratias Deo, pro alienis beneficiis, nomine eorum qui acceperunt.

ſanè hoc de alienis quoque commodis agendi grates cum ſummo bono commercium, immenſæ cuiuſdam vtilitatis eſt, atque præſtantiæ, pariterque iucunditatis. Reginæ enim virtutum charitatis vtraque pars cùm aduerſus Deum, tùm erga proximum vna eademq́ue opera exercetur. Procul deinde ab inuidia, procul à dolore ex alienis proſperitatibus, procul ab obtrectationibus eſt, qui gratias agendas ſibi in omnibus, proque omnibus cenſet. Ad extremum, qui omnium gratulatur bonis, bona omniũ ſuum facit theſaurum: vnde licet exiſtimare quàm ingentes ſibi Faber diuitias in æterna Hieruſalem aſſiduo illo ſtudio, & ardentiſſimo comparauit.

CAPVT III.

Dei cultus, & rerum ſacrarum veneratio mira in Fabro.

IAm verò Dei cultus, rerumq́ue ſacrarum veneratio prorſus erat in Fabro mirabilis. In primis recordatio ſanctiſſimæ Trinitatis aſſidua, quam in Crucis ſibi imprimendo ſigno multis, piiſque *Pietas in ſigno crucis formando.*

cogitabat ſenſibus, & precibus implorabat; dedicans Patri memoriam, Filio intelligentiam, Spiritui ſancto voluntatem: itemque Patri vires & opera; verba, & dicta Filio; conſilia, cogitationes, ac vota Sancto Spiritui: totumque ſe cupiens Patri bonum filium, Filio bonum ſeruum, Sancto Spiritui bonum eſſe diſcipulum. Quæ cum omnia excellenter fuerit ſanctiſſima Deipara, ad eadẽ ſibi impetranda, illam ſibi adhibebat adiutricem. Difficile cogitatu eſt, quàm magnificè ſentiret, ſuauiterque veneraretur ſanctiſſimam Christi humanitatem; tanquam ea quæ ſunt in Deo, ſunt ipſe Deus; ita quæ in Chriſti humanitate eſſent, longè præſtantiſſima, atque pulcherrima eſſe argumentabatur: eoque curandum & orandum, vt ad ſuam nos memoriam dignetur admittere, vt in ea conſtituti Deo placeamus: & inde quoque exiſtat in nobis lumẽ, & charitas, vnde viciſſim contemplari, ac diligere ipſum Deum, ac Ieſum Chriſtum in æternum poſſimus. Venerabile Ieſu nomen nunquam temerè, nunquam niſi peratt enta, piaque cura pronunciabat: ac ferè illud adhibebat animi votum, vt Deus Pater, quoties ipſe nomen appellaret delicti

Veneratio ſanctiſſimæ Chriſti humanitatis.

Pietas in pronunciando ſanctiſſimo nomine.

dilecti filii eius Ieſu Chriſti, reſpicere eos dignaretur omnes, qui aliqua parte ſalutis, ſiue viui in terris, ſiue mortui in purgatorio carcere indigerēt: ſimulque recordaretur omnium ipſiuſmet Ieſu meritorum, atque deſideriorum, quæcumque vnquã, dum vitam mortalem egit, de ſalute, commodiſque hominum dulciſſimam eius charitatem tetigerunt. Diuinum Miſſæ ſacrificium quo ſtudio, quo ardore peragebat, quo fructu? Quotidianum id erat illi, multarumque origo lachrymarum. Liturgiam omnem diſtinguebat in partes tres, quæ tribus Chriſti temporibus reſponderent. Prima ab exordio ad Sacramentum, tempori ante aduentum: altera ad communionem, commorationi in terris: tertia ad finem vltimum, tempori ab aſcenſu. Atque in ſingulis hiſce partibus conſentaneas temporibus exercebat, petebatque virtutes ad eam ſimilitudinem, quam dicemus infra, ſanctiſſimæ parentis tribus item vitæ recolendis partibus inſtitiſſe. Admirabatur Dei ſapientiã, quæ per hoc myſterium auguſtiſſimum vellet experrectam eſſe ſemper, & excitatam ſponſam ſuam Eccleſiam, dum exercetur aſſiduè

Quo ſtudio, fructuq; Sacrũ Miſſæ faceret.

De Myſterio diuiniſſimo Euchariſtiæ præclariſſimi ſenſus.

fides,

fides, dum religio, Deiq́; cultus tam multis, variiſq́; modis frequentatur; dum cæteræ aluntur virtutes, & excoluntur, ac fideles vtuntur hac ſalutis eſca ad nutrimentum, ad robur, ad lumen, ad ſolatium, ad omnem perfectionem, poſſeſſionemq́; cæleſtium theſaurorum. Putabat autem hoc maximè fieri, vt reuocaremur in noſmetipſos, ac penitùs intraremus. Siquidẽ velle Deum ſeruos ſuos ante omnia duplici hac re proficere, in erigendo, attollendoque in cœlum ſpiritu, & in demittendo, colligendoque intra ſe ipſos. Aſcendiſſe noſtrum bonum Dominum ad ſupera, vt traheret nos ad ſe: inſtituiſſe Sacramentum Altaris, vt poſſemus trahere ipſum ad nos: & ad nos ipſe veniens, intra nos reuocaret. Atque ita Dei regno vtrobique potiremur, quod & in cœlo, &, ex Apoſtoli voce, intra nos eſt. Ad hæc voluiſſe Chriſtum non exempla modo clariſſima omnium virtutũ nobis relinquere, ſed corpus ſuum ſanctiſſimum, idemq́; diuinitatis organum, per quod tot admirabilia edita erant facinora, tot pulcherrima in omni honeſtatis, & ſanctitatis genere adminiſtrata opera. Quòd ſi, meliora

nacti

nacti adminicula, opera poſſunt meliora perficere, nulla nos planè venia dignos eſſe, niſi in operarios ſanctos, & induſtrios euaſerimus, quibus præſidiũ, & organum tale tributum eſt. Mirabatur quoque in eo ſapientiam Dei, quæ hoc inuento pulcherrimo feciſſet, vt omnes homines, omneſque eorum labores, & actiones poſſent in aliquo genere obſequij, quæ tam multa in ſupplicationibus, & aliis id genus officiis exhibentur, præſenti Domino deſeruire, & tanquam inde ſacrificari. Spectabat Moguntiæ anno 1543. anniuerſariam ſupplicationem corporis Domini, cum ſolito acrius hæc diuini philoſophi mentem cogitatio, ac notitia ſubiit. Dũ enim curioſitate bona ſacram pompam, atque ſpectaculum omne colluſtrat, perque ſingula attentè conſiderat, quàm multa ad eam celebritatem, quamque varia promerentur: vtque omnia fidelium genera propriam quempiam officij partem conferrent, hi dona, atque pecuniam, ſuarum illi opera artium, alij vocem, ac manus quidam corporis geſtus, motuſque: agricolæ quoque herbarum, frondiumque amœnam viriditatem, & florum hilaritatem ſuauiſſimam ſiue nexorum, ſiue ſimplicium

Omnes hominũ ordines, & labores præcipuo quodam ſtudio poſſũt Chriſto Domino in ſanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento, obſequia ſua deferre.

In ſacris pompis quid cogitandũ.

plicium, dulciſſimè commouebatur, & admirabatur, & collaudabat ingenioſiſſimam Chriſti charitatis ſolertiam, per quam factum eſſet, vt omnes Ordines, vt omnes artes, vt humanorum corporum ſenſus omnes, ac membra præcipua exerceri poſſent in ſui Domini cultu, eique, à quo cuncta accepiſſent, aliquid redonare præſenti. Tum ad ipſum ſe cogitatione conuerſa, animum, corpuſque ſuum cum facultatibus, ac membris ſigillatim tradebat, ac dedicabat ad cultum eius, & laudem, ad obedientiam, & ſeruitutem in ſanctificatione ſui ipſius, ad commoda proximorum, in quæ vellet totus impendi, Chriſtum Dominum in eo quoque imitari percupiens, vt illius cauſa corpus planè contereret in rectè factis, atque conſumeret: & ſingulis in membris, ſicut ille cauſa noſtra pertulerat, cruciatus varios, doloreſque perferret. Si qui auderet Sacro-ſanctam ad Sinaxim inexpiata adire conſcientia, facere aiebat ſimiliter, atque qui in conſpectum Principis, quem læſiſſet, neglecta ſatisfactione impudēs os non dubitaret ingerere. Patronū autem ad præparationem exiſtimabat idoneū Ioannem Baptiſtam, vt

S. Io. Baptiſta idoneus patronus ad reparationem communicaturis.

vt cuius officij ſit viam Domino præparare. Sic ille interdum incitabatur admiratione pietatis, ſic ſtudio exardeſcebat, vt cuperet vbicumque terrarum diuinum hoc Sacramentum aſſeruaretur, poſſe præſens adeſſe venerabundus, nec inde recedere. Quam quidem voluntatem ad Sanctorum quoque reliquias, & imagines extendebat: quæ ſanè maximæ ſunt pietatis argumenta: ſed notabilia facit magis hominum cōmunis ignauia, quàm ſanctitas rerum vniuerſis noſtris longè maior honoribus. In peragrandis terris cum in conſpectum vrbs, oppidumque veniret, in primis Dominum venerabatur qui in templis eorum maneret. Cupiebat perfectum aliquod templum cogitatione ſibi fingere: in quo ſuus animus dies ac noctes habitaret, quod numquam exiret: vbi Crux eſſet, & B. Virginis: & Sanctorum imagines, ſancta aqua, ſacræ reliquiæ, & cætera religionis ſuppellex, ſed ante ōnia diuiniſſimū Chriſti corpus, quæ cuncta aſſiduè ipſe ſpectaret, & circumferret ſecum, debitaq; gratiarum actione, & cultu, prout cuiq; rei conueniret proſequeretur. Alias cupiebat res ſacras, vt pręcioſa diuorū lipſana, vt ea ſigno crucis religioſa

Cupiebat Faber quoddam in animo ſuo ſ re teplum. Vide.

gioſa

gioſa cæremonia ab Eccleſia conſecrantur, penitùs in corde ſuo reponere:& quoniam id minus poſſet, ſaltem nominibus id pingi IESV, Mariæ, Petri, Pauli, & Beatorum omnium cupiebat: ſic enim pictum amabile mirè cæleſtibus, terribile inferis eſſe. Ceterùm conniti aſtutas illas furias, vt cuncta ſacra ſigna, rituſque religionis de medio tollant, quod ſpondeant ſibi fore, vt ita demum ipſius Chriſti nomen vbi ſpoliarint, nudarintq; omnibus ornamentis aboleant. Sacra hęc eſſe veluti riuulos, qui nihil Maieſtatis detrahant fonti, ſed potiùs abundantiam eius, quæ tot effluat, ſpargaturque modis, commendent. Omnino ſuperat fidem quanti hæc æſtimaret noſter hic obſequētiſſimus Romanæ Eccleſiæ filius, quantum inde afficeretur, quantum proficeret. Nihil enim temerè, aut ſocordem per vſum tractabat. Cùm ſacra ſe vnda reſpergeret, Dominum precabatur, vt quicquid illa benedictionis, & ſanctitatis, & virtutis haberet, id omne conferret in animam ſuam, ad lauandam eam à noxis, ad complendam donis cœleſtibus, ad muniendam, ac defendendam contra hoſtes inuiſos. Ad ſacrarum conſpectum imaginum, pręter conſentaneum cultum

Pietas er ga res ſacras.

In vſu aquæ luſtralis.

In veneratione ſacrarū imaginū.

cultum, intelligens vim propriam imaginis eſſe, repreſentare eum, cuius eſt imago, conabatur ipſum Dominum, aut Deiparam, aut alium è Cælitibus, quem imago referret, menti ſuæ præſentes intimè facere, vt perpetuò inſiderent: ſuſcepturus aliquandò Iobelæum ſedulitate ſe maxima præparauit. Ad quam inquit, rem Dominus mihi donauit varios gradus infuſionis fidei,&ſpei circa talia dona ſpiritualia. Rogabam autẽ, reſpiciens veteris Iobelæi formam, vt quæcumque bona animæ meæ ego abalienaſſem, vendidiſſem, amiſiſſem, redirent ad me. Optabam quoque, vt quidquid per imprudentiam, quidquid ex imbecillitate, aut per improbitatem ſeu corpore, ſeu mente peccaſſem, penitùs deleretur, vt nihil reſideret in me, vnde Chriſti, Matriſque, & Sanctorum lumina offenderentur. Multifariam quoque exoptabam, vt quicquid pœnæ tẽporariæ eſſem commeritus, ex omni parte eius gratia fieret, vt nihil ampliùs meorum cauſa peccatorum calamitatis publicæ eueniret.

In Iobelæo.

CAPVT IIII.

Precationis ſtudium Fabri.

DEclarabat inſuper inſignem viri pietatem cùm frequens, varia, & perattenta precatio, tum continens, & aſſidua proficiendi ſolicitudo. Ac precandi ſtudium tàm erat incenſum, vt præter quotidianæ pſalmodiæ penſum, contemplationiſque nocturnæ, quocumque ingrederetur anſas vbique quæreret, & captaret orandi. In itineribus, ac profectionibus, quas adeò frequẽtes obedientiæ nomine ſuſcepit, velut optatiſſima nactus otia, & à cæteris curis, atque occupationibus libera, ea tota pijs cogitationibus, & ſanctis precibus conſumebat. Cùm ad vrbem aliquam (quod priore libro ſignificauimus) oppidúmve propiùs accederet, fundebat ſuprà incolas orationem, & clementiſſimo Dei Numini, ſupplicabat, vt eius regionis Archangelus, Angelique Magiſtri ſingulorum hominum, atque cuſtodes præcipuo eam ſtudio, curaque defenderent. Inuocabat & Sanctos cuiuſque loci Patronos, ac tutelares, vt pro habitatoribus ſuis, aut gratias agerent, aut opem poſcerent, aut veniam

Aſſidua oratio, & eius vndique ſũpta occaſio.

Angelorum, & Sanctorũ inuocatio

veniam à Deo peterent, parteſques illas officij, atque gratiarum: quas ipſi incolæ vel negligerent, vel ignorarent, ipſi vltrò ſuſciperent, atque peragerent. In conducendis etiam nouis ædibus, ac permutandis hoſpitijs mos erat primo ſuo ingreſſu, ſingulis in cubiculis genu flexo precem fundere: & conclauia cuncta, omnemque angulum tum ad abigendos impuros ſpiritus, qui hunc aërem obſident, tùm ad arcendam aëris inclementiam pia precatione luſtrare: memineratque in ſuis precibus eorũ etiam, qui in domicilijs illis vel habitaſſent aliquando, vel in poſterum habitarent, ne quid eorum animis illa officeret habitatio. Quin & vicinorum Angelos contra eoſdem ſpiritus implorabat, præſertim eos, qui non tam tectis eſſent infeſti, quàm corporum pudicitiæ. Addebat & ſanctorum hominum conciliationem, precipuè qui colerentur proximis templis: vt perbeati ſibi videri poſſent, qui deinceps tam expiatis & procuratis ædibus vterentur. Sed quàm ſtudioſè materiam vndique aucuparetur orandi, vel illud documento eſſe poteſt: quod cum in Principis Philippi regiam concionis auſcultandæ gratia, vbi ſuprà

In nouorum vſu domiciliorumq́ & hoſpitiorum pietas.

lib. 1. c. 19

narratum eſt, ſe aliquando conferret, à Ianitore, qui eum non nouerat primò repulſus, expectandi moras, ac tædia in orationis argumenta conuertit. Sed quid mirùm, ſi rectè valenti tam erat cordi precatio, quando eandem curam gerebat ægrotus. Ægrotabat aliquando Louanij, & morborum inter aculeos, accuſabat orantis animi ſiccitatem, cúmque ea re vehementiùs angeretur, quod videretur ſibi Deus longiùs receſſiſſe, venit in mentẽ illius ex pſalmo Dauidico vocis, Cum ipſo ſum in tribulatione. Quæ quidem pauliſper expenſa, atque excuſſa, mœrorem omnem, angoremque diſcuſſit. Aliàs etiam cùm ad multos dies, nocturnos ſomnos adimeret morbus, nec vllam caperet quietis partem, neque nocturnæ, neque diurnæ, illa alia ex eiſdem oraculis apta voce ſomni fugam, ac deſiderium lenire cœpit, in pace in idipſum dormiã, & requieſcam. Cumq; imbecillum caput vis doloris obtunderet, repetebat memoria ſpinis obſitũ Chriſti caput, & horridis vepribus cruentatũ. Atq; his cogitationũ fomentis cum doloris temperabat ardores, tum dulces liqueſcebat in lachrymas. Quin etiam eò creſcebat deguſtati calicis

Cura precationis etiam ægrotãti.

Pſal. 4.

cis

ciș ſitis, vt vehementer cuperet ſuum caput ad ſpinoſum applicari Domini caput, & eius conuulnerari ſpinis, atque configi. Parmæ cum inter initia vehementiùs laboraret, nec ſe de more poſſet, vt eius geſtiebat animus, in animorum ſalutem impendere, continuò Dei munus agnouit: & in beneficij parte poſuit, quod ille ſe iacentem ſuos mallet, atque priuatos, quàm ſtantem, atque valentem alienos curare progreſſus. Hoc perenne precationis ſtudium alebat nimirùm, fouebatque varietas: & erat illi quidem quotidianæ contemplationis pabulum Vita Chriſti: Vbi enim mens eius verſaretur vberiùs? vbi iucundiùs? ſed ad pietatem multiplices alios, vel ex pia & accurata lectione, vel ex doctrina & afflatu ſancti Spiritus adiungebat orandi modos, præcipuè autem tres, ſummè vtiles eosdemque iucundos, quàm difficiles magis, quos ob eam rem optabat vt Confeſſarij ſuos quique aſſeclas edocerent. Primus erat è litanijs, quas aſſiduè & ad omnem adhibebat vſum. Non enim ad beneficia modo poſtulanda, vt vulgò fit, ſed ad gratulandum, adorandum, laudandum, & ſimilia Religionis officia vtebatur. Etenim prout

Tres præcipuè orandi modos vſurpabat, & cupiebat à Confeſſarijs tradi diſcipulis.

locus, tempuſque admoneret, ingrediebatur mente beatam illam Curiam, & ad thronum Sanctæ Trinitatis accedens Patrem rogabat, vt Filio, ac ſancto Spiritui benediceret; tum Filio ſupplicabat vt benediceret Patri, ac Spiritui ſancto: ac denique Sanctum venerabatur Spiritum, vt idem Patri benediceret, ac Filio. Intelligebat autem mutuam quandam gratulationem, & quam dicimus complacentiam: deinde beatiſſimã cœli Reginã precabatur, vt ſanctiſſimam Trinitatem ſuo nomine, aut etiam alicuius è viuis, vel mortuis adoraret: ac rurſus auguſtiſſimã Trinitatem, vt B. Virgini benediceret, pro omnibus donis, quæ per eam in terras deriuantur: tum ad Angelorũ, ceterorumque Cælitum ordine Choros adiens prenſabat quodammodo vnumquemque pariter rogans, vt pro ſe, aliiſve Deo, aut B. Virgini, aut alteri Sanctorum gratiarum actiones, aut aliud genus honoris perſoluerent. Alterum genus orandi erat ex percurrendis præcipuis vitæ Domini, neciſque myſteriis, quæ ad præſens tempus ſcienter accommodabat: perque ea deinceps ſingula ſanctiſſimæ Trinitatis

perſo

perſonas, Cælitesque omnes obteſtabatur. Tertium genus ſumebat è ſumma Chriſtianæ doctrinæ, vt Dei præceptis, & Eccleſiæ, vt Fidei capitibus, vt peccatis ſeptem principibus, contrariiſque virtutibus, vt pietatis operibus, quinque itē humani corporis ſenſibus, & tribus animi facultatibus. Hæc ordine recolens: ipſa rerum varietas varios ſuggerebat affectus & nunc veniæ petitiones, nunc donorum poſtulationes, nunc actiones gratiarum, non pro ſe tantùm, ac viuis, ſed etiam pro vita functis addebat, rogans Deum, vt cōdonaret eis quidquid adhuc ex primo deberent præcepto, quidquid ex ſecundo itemque in ceteris, quidquid in ſuperbia peccauerint, nec dum deletum ſit: quidquid oculis, aut auribus, quidquid in operibus miſericordiæ, in articulis Fidei, & in virtutibus, quibus adipiſcendis negligenter inſtiterint. Hæ precandi tres formæ erant Fabro perfamiliares. Incidit quoque in librum quendam B. Geltrudis vnde variam ſe fatetur orandi ſyluam magno ſuo commodo comparaſſe. Sed admirabilem in hoc genere varietatem ſuppeditabat ipſa temporum, feriarumque varietas cùm aut varia Redem-

Varios modos orandi ex tēporum varietate ſumebat.

ptoris noſtri myſteria, aut ſanctorũ Martyrum neces, ſolemni religione recurrerent. Quæ pietatis viciſſitudo guſtũ in eo quẽdam, auiditatemq; velut in epulis renouabat, vt numquam ex vſu, nunquam impellente conſuetudine, vel ad contemplationem, vel ad ſacro-ſancta Lyturgiæ myſteria, quod plerique parum conſideratè, cogitatéque faciunt, ſed quotidiè nouus, quotidiè recens accederet. Nec ferè vnquàm in ſola conſiſtebat rerum contemplatione, ſed ad actionem referebat & auxilia proximorum. Ac profitebatur in meditationis quiete, plus ſibi iucunditatis, ſuccique ſolidi affluere ex agendis cum Deo, atq; Cæleſtibus mortalium cauſis, quàm ex rerũ conſideratione altiſſimarum, ſi ab omni eam vel viuorum vel mortuorum vtilitate ſeiungeret. Omninò vix credibile videatur, niſi eius commentarij fidem facerent, quàm crebris, quàmque multis, ex quotidiana cõmemoratione Sanctorum Dei luminibus & ſuauitatibus ſpiritus circũflueret, tanquam ſi id muneris, ac laboris duntaxat haberet, vt Deo contemplando, fruendoque vacaret: cùm tamẽ tam varia ſemper pro animis diſtineretur actione, tam multiplici

tiplici cura, vix vt aliquid ad mentis agitationem, precationemq́; ſupereſſe temporis videretur.

CAPVT. XXI.

Quo ſtudio venerаretur cœli beatos Ciues.

AMbiebat ſtudioſè cæleſtium omnium ſuffragia; & vt diem cuiuſq; Natalem annuus referebat anfractus, ſic ex vno quoque veluti ſua Natalitia daturo miſericordiæ aliquid corrogabat. Ipsã verò miſericordiæ Matrem, cœli terræque Reginam, per quam bona omnia ad hominum genus ex immenſo illo Diuinæ bonitatis pelago deriuantur, quantò colebat honore: præſertim cum dies aliquis illuceſceret commemorandis eius actionibus, myſteriiſque dicatus. Vitam eius, quo per partes veneraretur diſtinctiùs, propiúſque imitatione virtutes exprimeret, diſtribuit in tria tempora. Separatim enim conſiderabat primò tempus ante conceptum filium, tum id, quo cum eo vixit in terris, poſtremò illud, quo poſt aſcenſum eiuſdem ſuperfuit: & ex alia ad aliam ſe celebritatem comparans, tempus primum præparationi proximum

Pietas in Natalibus Sanctorum.

Pietas erga Virginem Deiparã.

compaſſioni, vltimum deſiderio tribuebat. Excitanda enim, & concipienda animo pietatis exiſtimabat ſtudia diuerſis apta temporibus. Primo itaque tempore, quod à die determinabat ſine labe omni conceptæ Virginis ad diem, qua verbum Dei æternum ipſa concepit, conſiderabat eam velut in conficiendo,exornandoque Altiſſimi tabernaculo occupatam, ſeque præparanda, vt conuenienter poſſet dicere, Ecce ancilla Domini, eique præſenti pro dignitate ſeruire: itemque ipſe ijſdem ſimilitudine quadam inducendis in animam ſuam ornamentis exercebatur, & à Virgine depoſcendis. Alterum tempus compaſſioni Deiparæ tribuebat, exiſtimans vt Chriſto via ad gloriam paſſio fuit,ita illi compaſſionem in primis fuiſſe, qua filio patienti indoluit. Et hoc tempore ad Matris exemplum ſeruire, & ipſe tanquam præſenti Chriſto ſtudebat, per dolorum eiuſdem ſenſum, ac virtutum ſynceram imitationem. Tertium deſideriis tribuebat, quibus ſuperſtes Mater Filium proſequuta eſt ad Cæleſtia remigrãtem, optans ſimul ac poſtulans, vt ſibi quoque daretur. Quæ ſurſum ſunt, aſſiduè quærere, vbi Chriſtus eſt, eumque

tan

tandem vbi vitæ, laborumque defunctus eſſet credito ſibi munere ipſa re ſequi liceret. Supra narrauimus, vt vel ſingulos Chirſti ſanctiſſimæque Parentis vitæ dies ſigillatim ſuſceperit recolendos: ita totam ſuam vitam in contemplanda, imitandaque eorum vita ponebat. Matri ſe ille clementiſſimæ totum dedidit, & addixit: huius in famulatu priùs diuinæ ſe ſtatuit Majeſtati probare, quo facilior ad eius famulatum ſibi aditus patefieret. Scribit enim quemadmodum, qui Regis in familiam adſcribi volunt, vni priùs alicui ex regiis famulis, & amicis adhærent, eiq; fide omni officioque deſeruiût: ſic ipſum vt inter Dei famulos connumerari poſſet, ſumma fide, & charitatis affectu eius ſe priùs Matri voluiſſe dicare, & ſuæ velut Dominæ deſeruire. Hinc labebatur ad Angelos, quorum præcipuo cultui ſecundam quamq; dicauerat feriam. Hos idemtidem dies, ac noctes, pijs vocibus appellabat, præcipuè contra improbos ſpiritus, qui tam multis modis exagitant genus humanum. His ſe cuſtodibus in itineribus committebat, hos cognoſcebat vbique pręsẽtes. In omni regno, ditioneque adeũda, ſiue prætereũda Principatus, & angelos

Per obſequia Matris cupit admitti ad famulatum filij.

Angelorum cultus & ſanctorũ hominũ.

vt ſuprà diximus, in vrbibus, oppidiſque cuſtodes Angelos incolarum,ac tutelares cælites & ſibi,& incolis implorabat. Quē morem in itineribus ingenti animi ſui bono perpetuo tenuit, ſeu propulſandis eorum fide pèriculis, ſeu bene gerendis eorum ductu negotiis. Dabatque id concilij ſociis, vt quaſi aliquos ex hominibus beneuolos principes ſalutarent, ita Angelos, tutelareſque ſanctos in adeundis oppidis, vrbibuſq; familiari quadam obſeruantia, & fiducia alloquerentur, ſuaſque cum iis cauſas, & ciuium agerent. Atque ipſe quidem, vt ſuis cuiuſque loci tutelares nominibus inuocaret, innumerabiliũ pene ſanctorũ nomina deſcripta præ manibus ſemper habuit, quorum varia peregrinatio notitiam, & quotidianus terrarum error attulerat, abdito intra Breuiarium indice memoriæ cauſa,ne quem ſine ſuo præteriret honore.Longum eſſet enumerare quos per occaſionem variæ profectionis obſeruandos ſibi, colendoſque ſuſceperit. Sanctos etiam Apoſtolos, eorumque ſimillimos,qui in diuerſas mundi partes Euangelium intuliſſent, implorare ſingularibus precibus cõſueuerat; eorumque fidei cum ſocietatem noſtram, quæ eorum

Nomina ſanctorũ colligebat quos in variis terris celebres inueniebat.

eorum ſtudet conſectari veſtigia, cum eos ipſos viuos, ac mortuos, apud quos nati educatiue eſſent vel vnquam vixiſſent, ac ſui reliquiſſent monumenta laboris, prædicationiſq; veſtigia commendabat. Præſertim verò principes orbis terræ Petrum, & Paulum, & Pręcurſorem Domini Ioannem, teneriore quodam animi proſequebatur affectu: quorum feriis anniuerſariis tantum ſe aliquando concepiſſe flammarum, iucunditatiſque commemorat, vt eius beneficij magni memoriam nulla vnquam inobſcurare poſſet obliuio. Sanctam etiam Virginem, eandemque Martyrem Apolloniam, quæ ab euulſis dentibus dentium habere tutelam à cunctis mortalibus piè creditur, eorum dolore tentatus, patronam ſibi puer aſciuit: eiuſque beneficio tribuit, vt tota deinceps ætate nunquam eius generis cruciatibus tangeretur. Quos verò colendos ſemel ſuſceperat Sanctos, eorum ab officio, cultuque nulla vnquam vel languoris deſidia, vel temporis obliuione ceſſabat: ſed tanquam ſemel initam amicitiam nefas ducebat diſſoluere, vel diſſuere. Colebat eam precibus vſque ad extremum: eoſque & ſibi conciliabat, & ceteris, quorum præ-

Perſeuerantia in colendis Sanctis, quos ſemel cœpiſſet colere.

ſertim

ſertim loca, regioneſque eorum aliquãdo vox, ac preſentia, ortus aut obitus condecoraſſent.

CAPVT. VI.
Solertia Fabri in Sanctis aptè colendis, & inuocandis.

Places Deo ſanctos alios ad alios vſus inuocari.

MOnebat pietatis eſſe Chriſtianæ, quoſdã ſibi ex Sanctorũ choro deligere, quos præ cæteris venereris, & colas: & quò tuis in votis, optatiſque confugias. Nec enim maieſtatis eſſe diuinæ, quãquã poſſit, omnia quæ petimus, æque per ſe, ac per Beatum quemlibet elargiri. Quocirca in appellandis, rogandiſque Cæleſtibus, & eorum Natalibus celebrandis habendam eſſe cuiuſque rationem; & ad cuiuſque merita, ac dona diuina, quibus & hic auctus, nobilitatuſque eſt, & illic Deo potitur, ac fruitur, petitionem noſtrã accommodandam. Nec enim hunc à Sanctis ſuis ordinem Deum tollere, vt ſuum quiſque Creatorem cum vniuerſis hominibus cõmunicatum velit. Quippè alios aliùm dum hanc vitam viuerent, tenuiſſe curſum; alios aliis decoratos fuiſſe muneribus, & velle ea maximè vigere, per quæ ipſi Deum & ſalutem inuenerint. Nec

ſine Dei cecidiſſe conſilio, vt non iiſdem omnes benefactis, ac rebus geſtis, nec eadem virtute, & ſanctitatis gloria florerent. Quamuis ne ipſi quidem exigant, vt quo hic ipſi Deum honoris cultu laudiſque coluerint, eodem is à nobis ſine varietate colatur. Porrò Faber non modo ſedulitate mira in officio, ſed etiam ſagacitate erat ſolertiſſima in aliis atque aliis aptiſſimè inuocandis. Dum Moguntiæ cogendis vnum in locum ægris mendicis ſtuduit, patronos adoptauit, qui talia mala perpeſſi ex ea conditione, & calamitate perueniſſent ad ſempiternam felicitatem. Precabatur ſibi aduerſus infernas poteſtates præſidium, & ab vnoquoque nominatim contra eos ſpiritus, quos quiſq; aduerſarios præcipuè habuiſſet: Nominatim autem inclytam Martyrẽ, Virginemq; ſanctã Martinam ſecunda quaque feria vna cum bonis Angelis contra malos venerabatur, inde interpretans multum eam aduerſus monſtra illa pollere, quod ad eius conſpectum nec fana Deorum, nec ſimulacra poſſent conſiſtere, ſed continuo ſua ſponte corruerent. Ad erigendum cor ad ſupera, commodum putabat patrocinium ſanctæ eius fœminæ implorare, quam

Quàm aptè ſanctorũ patrocinia Faber inuocaret.

decem

decem & octo annis inclinatam, vt omninò non poſſet ſurſum reſpicere Dominus curauit, & ſoluit. Addens in donis quoque à Chriſto petendis religioſam ac ſalutarem eſſe induſtriam proponere ſibi illum in eo vitæ ſuæ opere, ac myſterio, quod vſui noſtro cōueniebat. In natalibus Virginum maximè curari iubebat, quæ ad perfectionem cuiuſque propriam pertinerent. Ipſæ enim inquit, B. Virgines, quæ maximo ſtudio operam dederunt, vt in ſeipſis ædificarent Templum ſanctum ſancto Spiritui, & voluerunt fieri vaſa ſanctitatis, ad placēdum ſponſo ſuo Chriſto, cui ſe deuouerunt, ipſæ, inquam, tales animæ maximè optant, vt nos omnes ornemur in nobis, atque cum omni ſanctitate, & iuſtitia liberati, à maculis, quæ diſplicent oculis diuinis, placemus Deo noſtro, vnde fit; vt dum huiuſmodi dona præcamur, ipſæ nobis ſtudioſè patrocinentur. Didicit afflante ſpiritū memoriā cuiuſque Beati, cum pietate coli, ſi quis primum gratias ageret Diuinæ clementiæ quod eum iam inde ab æternitate prædeſtinaſſet, & vocaſſet ad gloriam: ad eamque ſuis itineribus, & quaſi gradibus perduxiſſet. Deinde ſi eaſdem ſanctiſſimæ Dei

In Virginum Natalibus, quid curandum.

Meditatio de ſanctis præclara.

Dei Matri gratias, Angeloque eius cuſtodi perſolueret, & ijs Cæleſtibus ſigillatim, qui ad eius ſalutem, & gloriam aliquid contuliſſent. Poſtea ſi & ad Deum, & ſanctum illum pro ijs ſiue viuis, ſiue mortuis, qui præcipuo eum colerent, aut coluiſſent honore preces ſterneret. Tum ſi Deum ipſum ſtudioſè rogaret vt eius literarum monimenta, ſi quæ forent, rerumque ab eo geſtarum memoriam cuſtoditam, & conſeruatam vellet. Denique ſi pares eius oſſibus vbi, vbi eſſent, tribueret venerationis honores, & ex ijs aliquid vnde ſe muniret, & tueretur, exquireret. Sanctorum ipſe Martyrum certaminibus voluiſſet omnibus intereſſe præſens, vt poſſet gratulari, plaudere, & acclamare. Exaudiat te Dominus in die tribulationis &c. Memor ſit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pinque fiat. Valdè etiam pium cenſebat optare, ac precari, vt quæ ſancti mortalem dum vitam agerent, habuiſſent de honore Dei, & proximorum ſalute vota, ea omnia complerētur, vt poſſet hac quoque re de ſingulis dici, Deſiderium animæ eius tribuiſti ei: gratias etiam agendas Deo de donis vniuerſis, quæ vllo vnquam tēpore per ſanctos aliquo modo Eccleſiæ

tribuiſſet. ſuper hæc animaduertit ad ſanctorum auxilia emerenda cōmodiſſimum eſſe Angelos venerari,& allegare, qui eorum in terris cuſtodiæ præfuiſſent. Ac proinde quotquot eſſent in cælum è terris euecti ſancti viri, ſanctæque feminæ, eorum ipſe atque earum omnium cuſtodes Angelos appellabat,perque hos ab illis,& à Deo alia atque alia, vt conueniens erat, munera precabatur. Optabatquòd ſibi deforet præſertim in honorandis coram ſacris cuiuſque reliquiis, ij conferrent, explerentque,quibus daretur adeſſe præſentibus. Porrò tam erat in colendis Beatis Faber attentus,non modo ad eorum, ac Dei laudem, ſed etiam ad degentium in terra præſidium. Quippe cum tantum interſit rei pietatis publicæ, ſummorum ad eam Principum habere propenſos animos, ipſe interiore perſenſit admonitu, eoq́ue perilluſtri Cæleſtium omnium tāti eſſe ſuffragia, vt vel vnius præſidium plus efficacitatis habeat ad corrigendos hominum mores, quàm cunctorum edicta Regum,induſtriique conatus.

Quàm ſit potens ad auxilia proximorum ſanctorum inuocatio.

Cap.

CAPVT. VII.

Orationis attentio Fabri.

ADmiranda prorſus tam varia, tam multiplex, tam frequens precandi ratio: ſed admiratione haud digna minore ea, quam in hac adhibebat, attentio. Raro enim ab ea cogitatione, quo ſe initio coniecerat, aberrabat: raro mens peregrinabatur orantis. Nimirum omni ope ſtudioque mentis erroribus occurrebat: & ex Sapientis præcepto antè orationem præparabat animam ſuam; ne eſſet quaſi homo, qui tentat Deum. Idcircò negabat quenquam mentem ſuam poſſe facile continere, & id, quod expetit, promereri; qui comparandi ſui tempus ad ipſam vſque precationis horam, & ſacrificij tempus prorogat: & eum ſimiliter facere, ac ſiquis antè cœnam nullis exercitationibus famem acuat: & ſuper menſam deinde queratur nullam eſſe cupiditatem ſibi: aut ſi quis puros, dulceſque liquores deſtinatam accepturus ad horam, non priùs illotas lances, & vaſa detergat, quò illi infun

Qua ſe cura ad orationē præpararet.

Eccl. 18.

dantur, quàm is, qui infundat acceſſerit: interimque accipiendi tempus, & hora præſtituta præteruolet, cum potiùs anteuertere decuiſſet infundentis aduentum, & ad dictam horam lances habere deterſas. Nāc quemadmodū in arduis, & magnis operibus prę meditari ſolem⁹, & inardeſcere cupiditate ea quàm optimè per agendi: atque peracta recognoſcimus, cū que dolore dicimus, hic, aut illic erraui, ita ad orationem accedendum, ita recedendum monebat. Ac prorſus mirùm dicebat, quod cùm tantum curæ in dicendis, agēdiſq; ponatur, in orationem, quæ tāto ceteris negotijs etiam pijs antecellat, non multo plus conferatur. Aiebat orantis amorem, & charitatē in Deum ex orationis attentione perpendi: quod tanto antè Ioannes Climacus admonens, charitatem, inquit, militis ad Imperatorem ſuum indicat bellū: Monachi verò charitas ad Deū tum maximè perſpicitur, cum in oratione verſatur. Statum tuum oratio tua manifeſtat tibi; hæc ille. Quo circa ad continendam in ea mentem, præſertim in imperata pſalmodia, vias omnes indagabat. Nam vt in ſuis Moralibus Gregorius præcipit.

Orationis attētio index charitatis in Deum. gr. 281.

Antè

Antè orationis tempora debet ſolicitè *l.x.c.xi.*
conſpici quicquid poteſt in oratione reprobari. Interdum igitur inter Pſalmum *Induſtria*
& pſalmum breuem quandam precatio- *Fabri in*
nem raptim iaculabatur ad Deum: cuius *excitanda atten-*
generis erat illa ſolennis, & frequens. Pa- *tione inter pſal-*
ter cæleſtis da mihi ſpiritum bonum:qua *lendum.*
in prece totis ſcilicet miſſa præcordijs, ſenſit ad reuocandam, & colligendam mentem multum latere præſidij. Interdum decies auguſtiſſima Ieſu,& eius Matris nomina piè ad horas ſingulas orandi canonicas appellabat; vt ad memoriam decem illa ſibi redigeret,& in pſalmis ſpectanda proponeret. Primum vnam Dei gloriam. Deinde ſanctorum honorem. Tum incrementa iuſtorum.Poſtea liberationem eorum, qui noxis eſſent implicati mortiferis. Ad hæc rei Catholicæ progreſſionem. Mutuam etiam inter Chriſtianos Principes pacem, atque concordiam. Denique leuationem eorum, quos ea ipſa hora vel dolor aliquis perfoderet corporis, vel animi ſolicitudo perederet, vel aduentantis mortis horror inuaderet, vel purgans apud inferos ignis exureret. Hæc ille decem ad horæ cuiuſque canonicæ carmen piè,ſanctéque recolebat: his

mentem lubricam,ne quà effluerct cohibebat. Nec verò illa ad cõparandam attẽtionem minus efficax ratio erat: quod in inchoandis iiſdem Canonicis horis in acerbiſſimos Chriſti cruciatus, indignamque necem ſuæ mentis figebat aſpectum, & vt pſallendo, canendoque progrediebatur, ita in reputandis acrioribus eius pœnis,atque doloribus procedebat.Intendebantur quippe Chriſti dolores hoc magis, quo ille propius ad vitæ vergebat occaſum:& eadem proportione Faber ſenſerat ſibi eſſe in horarum attentione creſcendum, intendendamque vim animi ad intentionem dolorum, atque incrementa: vt, cum perueniſſet ad Nonam, ſentire quodammodo & ipſe poſſet dira illa tormenta, & ſupremos angores, quibus ea Chriſtus hora paternos in amplexus extremum ſpiritum edidit. Exiſtimabat etiã præſertim nouis, ac tyronibus ſalutare, ſi cum ſe conferunt ad pſallendum, continuo ſibi quatuor illos veluti fines, quos vltra non prodeant, terminoſque præſcribãt.Primum loci opportunatem, vbi pſallendi fungantur officio.Magni enim intereſt,non illuc egredi cum mens orat,vnde ſenſus hauriant, quæ cogitationem auocent,

Adiumẽta ad attẽtionem Nouis ſacerdotib. & aliis.

cent,alioque traducant. Deinde perſonas, ac ſanctos,qui vel in orandi formulis, atq; collectis,vel in ſacris nocturniſque lectionibus memorantur. Poſtea verba, quibus ſacrum carmen, & precatio tota contexitur. Denique res,quæ geruntur, actionũq; varietatem, quam quotidianæ pſalmodiæ viciſſitudo ſuppeditat. Hos intra fines, atque cancellos qui ſe tenuerit,is autore Fabro mentis aberrationibus obuiam ierit. Conſueuerat aduentante pſalmodia,ceteris ab negotiis pauliſper abduci:ad eamq; prius cogitatione, quàm pronunciatione conuerti:ne, ſi repẽte ab negotio traduceretur ad pſalmum,veſtigia rei geſtæ reſiderent in animo perpetui ſemen erroris. Interdum etiam mentem ſuam blandé fallebat, ne quà libere volitaret: cum eáque tãquam fœdus, inibat vt immota,ſilenſq; hoc,vel illo ſaltem in pſalmo, pſalmodiæve parte conſiſteret: quam cum in ea conſtantem vt pepigerat, habuiſſet, pacta ſua renouabat, & ad inſequentem pſalmum ſe rurſus admonens,ita dicebat, fac & huic animo ſis præſenti,fac attento. Cui cùm item feciſſet ſatis, eadem admonitione deinceps progrediebatur ad reliquos: dum ad extremum in omni

Multiplex Fabri ad attentè pſallendũ induſtria

Dei præſentiæ cogitatio ad attẽtionẽ vtilis: itẽq; Angeli boni, ac mali. Reg.br.9. 21.

ſui muneris, parte, conſtantiam, quam quærebat, eſſet adeptus. Et quod ſuos olim Monachos Baſilius monuit, idcirco mentis gigni in oratione deſidiam, quia non ſatis præſens Dei Numen agnoſcitur, id Faber etiam ſuo vſu didicit, & ſcriptis monuit, ad coërcendam in orationibus mentem, valere plurimum ſi quis Deum, Deique Angelum præſentem agnoſcat, qui quemadmodum in precatione ſe gerat, animaduertant: itemque ſtantem ex aduerſo malum angelum, qui quo plures habeat ad accuſandum anſas, inuido, curioſoque oculo cuncta eius obſeruet, & rimetur errata. Præcipiebat inprimis abijciendam oranti ſolicitudinem lucis craſtinæ, rerumque gerendarum, vel optimarum, quæ funditùs perderet attentionem, nec ſineret animum in inchoata prece cõquieſcere. Quippe animum ipſum in multa, & longingua diuiſum minus ei, quòd eſt præ manibus, ſerio, & conſtanter adeſſe poſſe. Quocirca faciẽdũ ei, qui orare & ſpiritu velit & mente, vt omnem diei curſum ſic inſtituat, ac dirigat, omnes actiones ita diſpenſet, vt ad eas poſtea euentuum expectatione ſuſpenſus, orantis animus non recurrat. Pro certo etiam habendum,

Abiiciẽda ſolitudo omnis oraturo.

dum, quandiu fidelis Sacerdos attentionem ad diuina conſeruet, negotia eius cetera ipſi Deo curæ fore: atque adeò minime committẽdum, vt mens ad alia quãuis pia digrediatur, ne importuna hæc ſolicitudo peculiarem illam Dei curam auertat. Optare ſolebat ipſe pro ſuo illo perenni cum Beatis vſu, vt quoties ſacra pronunciaret carmina, adeſſent Angeli, Sanctique, non quorum modo nominatim fieret mentio, ſed planè vniuerſi: iiſdemque verbis, ac ſenſibus, ipſi, qui tanto melius intelligerent, vna laudes communi Domino, Parentique concinerent, nulla offenſi noſtra incogitantia, quo minus ſacrorum verborum vim, ac myſteria ponderarent, ſed potius, quòd deeſſet nobis, benigne ſupplentes. Itaque apprimè iudicabat conducere, ſi cum ſtudio, ac fiducia rogarentur, vt præſto eſſe pſallentibus vellent: & quando ipſis vndique materia celebrandi Numinis efflo reſcit, ſumerent cauſam ſupplicandi ei, laudeſque & grates ſoluendi ex noſtra quoque ſacri perfunctione officij: nobiſque ad id quod agimus, & cupimus præberent ſe ſe Patronos, ac duces. Qua in cogitatione plurimum inde recreaba-

Pulcher affectus pſallẽtis.

Inuocanda ad benè orandum auxilia Beatorum.

Poſt orationem quid agẽdum.

tur,quod magnum , præclarumque ducebat poſſe Cæleſtibus illis laudatoribus ſuppeditare cauſam , vnde & recens Deo præconium,& ipſis aduentitij gaudij nonnullum additamentum rediret. Precandi, pſallendique functus officio , ſtudebat inde ſpiritu non excedere. Ac ne ſe continuo foras proiiceret,totumque profunderet , ad ea , quæ orauerat , atque cecinerat animum reuocabat:id quod ei , & in quotidiano Miſſæ ſacrificio , & in quouis alio pietatis genere ſolenne ſemper , & vſitatū fuit : vt iis peractis ad ea animum attenta cogitatione reflecteret , ſingulaſque velut operis partes recognoſceret ſecum , & tā-quam prudens, ac peritus opifex retractaret. Tanti autem faciebat accuratam in canonicis præſertim precibus attentionē, vt diceret,ſæpius eſſe in memoriam reuocandum orandi tempus, concipiendumque tanto ante tum flagrans ſtudium pſallendi ſapienter, tum metum, ſolicitudinemque ne quid in pſallēdo, canendoq; peccetur. Perfecto verò pſalmodiæ munere, niſi ex ſententia,votoque ſucceſſerit ſuſcipiendum eſſe dolorem,qui perpetuus ſit, & ad nouum vſque pſalmodiæ tempus vrat: ſed hunc nō tam volebat ex im-

portunis

portunis cogitationib.ſuſcipi, quib. mens alio rapitur, quàm ex amore, & charitate Dei, quod abfuerit ſenſus orãdi inter ſuauiſſima Dei verba, & argumenta Pſalmorum. Multos enim ſæpenumero angi in precationis penſo reddendo, non tã quod eius fructu priuantur, quàm quod id temporis, quo adſtant ante Deum, alienæ cogitationes obturbant, minime reueritæ tanti Numinis Maieſtatem: tametſi merito timorem hunc aiebat, fugamque cogitationũ ad amorem munire viam. Quippe eo comparato, & in animum ſemel infuſo, tum demùm in ipſis rebus ſubſequatur attentio, ex amore ſcilicet diuinæ vocis, atque verborum, & ex earum iucunditate rerum, atque factorum, quæ ſacro carmine continentur.

Qualem dolorem probaret ſi pſalmodia non ſucceſſiſſet è ſententia.

CAPVT VIII.

Deuotionis ſuauitas in Fabro.

EX hac tam vigilis animi, attentique diligentia interiores nimirum illæ ſuauitates, & dulces lacrymæ, quibus tanquam iucundo quodam pabulo ſe recreabat, ortum habebant. Negabat enim citra Dei miraculum poſſe fieri, vt qui nulla peccandi

Deuotionis ſuauitas non adeſt imparatis.

precãdi cupiditate,ac fame,niſi tum, cum conſtitutum precationi tempus aduenerit,incitatur, is ſolidiorem aliquem ex ea guſtum,voluptatemque percipiat.Ipſe verò dum ſuæ fructum reportat induſtriæ, rapiebatur interdũ animo tam in ſublime, vt ipſum apicem diuinæ contemplationis attingeret,& Deum ipſum quodammodo mente prehenderet; ſpectaretque quemadmodum is habitat in Templo ſancto ſuo. Vix credi poſſit quàm tenui de cauſa nonnunquam exardeſceret, quàm ſubitò deuotionis ardorem, veluti iam præparata materia minima ex ſcintilla conciperet. Anno 1542. Spiræ cum prioribus veſpertinis ſolennibus aſſumptæ in cœlum Deiparæ intereſſet, & magno apparatu res ageretur, plurima candelarum luce, facumque fulgore, pretioſa veſte parietum, vario vocum, ſonorumque concentu, expoſitiſq; decorè ſactis reliquiarũ theſauris, mirifica ille iucunditate perfuſus,orſus eſt eis bene precari, qui candelas illas ordine collocaſſent,inſtruxiſſent,incẽdiſſent, qui ceræ in vſus legaſſent argentum,qui templum ſericis conueſtiſſent,reliquiis exornaſſent, ſymphoniacos pueros euocaſſent: adeo omni ex parte exultantis in

Leuiſſimis cauſis in deuotionem maximã extendebat.

Domino

Domino mentis ſe prodebant indicia. Hunc autem orandi guſtum, & veluti ſaporem, non tam quod expetendus ſit ipſe per ſe, quàm propter animum, ne tam neceſſario precationis pabulo, ſi is abfuerit, ſe defraudet, plurimi faciebat: eoque cùm carebat, perſtudioſè cauſas inquirebat. Inquirendæq; cauſæ ſtudium putabat eſſe non obſcurum gratiæ cœleſtis indicium, qua quis iam animum rectè compoſuit, inſtituitque, vt prima & antiquiſſima ei cura ſit viis omnibus quærendi Dei. Quocirca non precandi modo ſenſum, voluptatemque, verumetiam conquiſitionem eius ac ſtudium, doloremq́ue ex eius abſentia, ac deſiderio magnifaciebat: propterea quod in his rebus velut in ſeminibus lateat fructus. Qui deinde in nobis vna cũ die ſe ſe aperit, & augeſcit. Omninò omnem deuotionis obtinendæ viam excogitabat, ad eamque ſe ſe interdum viciſſitudine temporum excitabat. Vt cùm anni circulus in initia recurrebat, optabat in ſe quoque velut in exiguo mundo quadripartitas fieri temporum varietates. Hyemen quidem, vt diuina ſemina altè menti mandata multa cum humilitate deſcenderent, firmiſſimaſque radices agerent. Ver

Quare magniſaceret ſenſum dulcem pietatis.

Deuotionis renouandæ ratio præclara.

Ver autem, vt è ſolo animi ſui incluſa illa quæ dixi, ſemina in optatum germen erũperent, & omnia floribus conueſtirent. Æſtatem verò, vt emicantes, & adulti iam fructus in vberem meſſem, lætamque ſegetem matureſcerent. Denique Autũnum, vt ſuam fructus maturitatem aſſequuti, colligi recondique, cum voluptate poſſent. Deuotionis gratiam, & ſuaues quaſdam rerum diuinarum notitias negabat aliam expetendas ob cauſam, niſi vel propter Dei gloriam, vel vt per ea ſe quiſpiam in ſanctitate perpoliat. Nam cum inter Miſſarum aliquando ſolemnia præcipuè deuotionis ſtudio teneretur, quæ redundaret extrinſecus, & circumſtantes incenderet, ſenſit id vitio non carere, & deuotionis gratiam, non ex eo genere gratiarum eſſe, quæ referuntur ad proximos, vt gratuita Dei dona, ſed ad eum ipſum, qui eam obtinet poliendum, & tanquam excolendum in gymnaſio, & officina Virtutis. Aiebat nihil tàm optare pleroſque, quàm vt partem aliquam diuinæ dulcedinis orando deguſtent, cùm tamen nulla re tam egeant, quàm in rebus turbidis patientia: neminem autem illam guſtare poſſe ſuauiter, niſi priùs hanc tenere

Cur expetenda deuotionis gratia, & dulcedo.

Patientia ad ſuauitatem deuotionis via.

nere condiſcat: nec diuina poſſidere ſolatia, niſi prius animam tolerando poſſideat, ex illa videlicet Chriſti voce, In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Quis quis autem animam ſuam patiendo non poſſidet, quî fieri poteſt, vt ille Deum interiore iucunditatis ſenſu poſſideat? Vt non miremur, ſi in eam poſſeſſionem ipſe venerit, quem admirabili manſuetudine fuiſſe præditum accepimus in ferendis rerum euentis, & ſterilitate animæ ſuæ. Non diſcedam ab eius teſtimonio, quo nihil eſt luculentius ad intelligendum, quantis eius animus diuinis voluptatibus redundaret, quanta luce perfunderetur. Extant etiamnum eius ad Lainium literæ è Germania datæ anno 1542. vbi præter alia, dum diuinæ liberalitati pro innumerabilibus eius erga ſe beneficiis meritas gratias agit, & à Iacobo etiam exigit, hæc apud hominem ſibi coniunctiſſimum, & in eadẽ palæſtra ſpiritus ſtudioſè verſantem ſcribit ipſe de ſe. Vtinã tibi frater cariſſime, explicare poſſem quæ, & quanta bona, ex quo abs te Placẽtia digreſſus ſum vſque ad hunc diem, & animam meam intrauerint, & in ea permanſerint, quæ cognouerim, quæ ſenſerim in his, quæ ad, Deum

Gratia Fabri de ſuis in ſpiritu progreſſionibus ad Lainium.

„ Deum, quæque ad ſanctiſſimam eius Ma-
„ trem pertinent, & ad beatiſſimos tum
„ Angelos,tum animas, quæ vel in cælo,vel
„ in Purgatorio ſunt. Interiora verò mea
„ quid referam? eleuationes & depreſſiones
„ meas? introitus in me, & exitus ex me?
„ Quomodo didicerim mundare corpus,&
„ animam,&ſpiritum:purificare cor meum,
„ & reiectis impedimẽtis præparare,vt diui-
„ narum gratiarum liquores recipiat, reti-
„ neat, conſeruet: petendo ad omnia hæc
„ diuerſa dona, quærendo, pulſando. De
„ ijs verò, quæ ad proximum ſpectant,non
„ minùs multa poſſent dici, in quibus Do-
„ minus Deus modos mihi, & rationes de-
„ dit, veritates oſtendit,& vias vt illum co-
„ gnoſcam, illi de bonis congaudeam, de
„ malis compatiar, pro illo gratias & agam,
„ & petam, veniam, ac remiſſionem quæ-
„ ram, & excuſationes inueniam, & coram
„ Deo, & ſanctis eius bona de illo, ac pro
„ illo loquar. In ſumma Iacobe frater ca-
„ riſſime, nunquam ego non dicam factis,
„ aut verbis exequi, ſed neque cogitatione
„ poſſim comprehendere, quæ beneficia in
„ me Deus meus contulit,& conferre para-
„ tus eſt;meas contritiones alligans, ſanans
„ omnes infirmitates meas, delens meas
iniquitates.

iniquitates. Ipſi gloria amen. Ipſi laus, ipſi honor, & benedictio ab omni creatura. Ego quidem dico Amen. ſed & tu etiam obſecro de hoc fratre tuo, illum laudato, illi benedicito, quod ego de vniuerſa Societate, & de miſericordia Domini tam abundanti hactenus ſuper illam effuſa facere quotidie non deſiſto. Hæc ille.

CAPVT IX.

In deſolatione, & ariditate quomodo ſe gereret.

QVanquam autem in tractatione diuinarum rerũ tanta erat ei voluptatis vbertas, ferebat tamen interdum quaſi quandam ieiunitatem, ac famem: experiebatur & ipſe, ſicut & perfectiſſimus quiſq; viciſſitudines rerum, ac temporum: acceſſum conſolationis ſpiritus, & receſſum, hilaritatem animi, & contractionem, ardores pariter, & algores. Quæ cùm aliquando ſecum ipſe tacita admiratione perpenderet, doleretque inconſtantis animi mutationes ac vices; quaſi quadam oborta luce perſenſit, quę diuinis illis vocibus, Veritas mea, & miſericordia mea cum ipſo, ſubiecta ſit notio: vt ſignificare nobis diuinus ſpiritus videatur, his duabus potiſſimùm

Cur Deus viciſſitudines temporũ ſuis famulis immittat

rebus conſueuiſſe Deũ ſuos famulos erudire Iuſtitia, & miſericordia: quarum altera contineatur in officio, ne ſe ſe efferant, altera ne nimis abiiciant: ſed gemina quaſi lance, atque trutina in quadam ſe æquitate animi, ac moderatione ſuſtentẽt. Toto plus anno euenit, vt in præcipuis ſiue Chriſti Domini ſiue ſanctorum celebritatibus, aura deficeretur cõſueta diuini ſpiritus iucundè ferentis: ac potius nunc è ſuo, nunc ex infero ſpiritu reflatus experiretur inſolitos. Quam rem tãquam prima facie abſurdam miranti, reputantique ſecum, illa incidit conſolatio: id Dei ſumma bonitate contingere, vt Cælites, quorum celebrarentur ſolemnia, clarius viderent infirmitatem ipſius, & egeſtatem, atque ad miſericordiam eos, opemque ferendam ille neceſſitatis conſpectus acrius commoueret. Atque vt hinc animos ſibi addant, qui Deo famulantur cum ab omni diuinarum rerum voluptate deſerti, quaſi quandam à ſpiritu ſolitudinem inuiti perferunt, operæ pretium eſt, quæ de ſua ſolitudine, & deuotionis inopia tantus vir aliquando commemoret, huc afferre. Scribit enim in hanc ſententiam. Sacro Paſſionis Dominicæ die, illa mihi antè oculos

Quam ſagaciter, ac piè ſe in ariditate ſpiritus conſolaretur.

oculos mentis obuerſabantur ; Toto me quadrageſimæ curſu variis agitatum fuiſſe cogitationum , ventorumque procellis, quibus animi mei vulnera , & imbecillitates præteritæ , refricari quodammodo videbantur : ex quo fiebat , vt ne cupiens quidem flere poſſem,niſi ſuper me, & ſuper filios meos , hoc eſt ſuper vitia pectoris mei,& ſuper informes fœtus actionum mearum.Mens mea tunc tota ab iis rebus, vbi iam pridem pacem ſuam poſitam ſenſerat,aberrabat:corpus autem in iis totum hærebat,vbi iam inde à puero eius deprehenſa mors, ac mobilitas erat.Inordinatæ porrò,ac præpoſteræ actiones meæ,itemq́, torpor, & mentis obductio,omnes deniq; commotiones animi mei & procliuitates ad malum , quæ iam pridem putabantur abſciſſæ,atque emortuæ, magno meo dolore renaſci , ac reuiuiſcere denuò viſæ ſunt. Iure igitur angebar , & triſtis incedebam , dum affligerent me inimici , & infeſti motus quaterent animam meam, ſpiritum meum , corpus meum. Verùm vt illuxit Paſſionis dominicæ dies, & hæc mecum ipſe recolerem , animaduerti non ſine Dei confirmante me ſpiritu , ea mihi omnia fuiſſe ſaluti. Diem enim , tem-

Quanta in ariditate quadrageſimam totam exercitus.

Conſolatio inde, & profectus.

puſque tum agi, cum acerba illa vulnera, & dira tormenta, contumeliæ illæ, & illa dedecora, mors illa denique & nex indigniſſima, quæ ſuo corpore Chriſtus exceperat, commemorabantur: ideoque tum maximè decuiſſe, & è re mea valde fuiſſe, vt etiam vulnera animi mei, & plagarum cicatrices non ſatis obducta vnà cum Chriſti cruciatibus, ac meritis, vnde ſuam medicinam peterent, renouarentur. Ita diuino beneficio factum eſt, vt à Deo gratiam ex animo peterem per Chriſtum Ieſum Crucifixum, & in patibulo mortuum, vt ſanarentur vitia mea vniuerſa, & mea omnis confirmaretur infirmitas: oraremque inſuper, vt effuſus ille tam liberaliter ſanguis, ſanguines meos, à quibus liberari iam dudum cum ſancto Rege percuperem, puros & caſtos faceret: itemque, vt vi carnis, & corporis Chriſti in ſepulchro conditi, carnis item, & corporis mei ſubleuaretur infirmitas: denique vt anima Chriſti quæ à ſuo diuulſa corpore ad inferna deſcenderat, omni ſanctitate ornaret animam meam, & cohiberet poteſtatem omnem aduerſariam, qua videbat iterum ad peccatum, cui me mortuum putaueram, excitari. Ponebat in beneficij

Ducebat beneficij loco interdum Sterilitate ſe conflictari.

parte

parte, quodquis interdum ſibi ipſe relictus ſterilitate laboraret ac fame, ſuo videlicet vſu perdoctus, quod & veteres docuere Patres, decedere interdum gratiam, & ſe ſubducere ad erudiendum hominem, vt quantum inter proprium, & alienum ſpiritum: inter decrementum, & incrementũ diſtet, experimento perdiſcat: tum etiam, vt cùm ſummus ille deuotionis ardor remiſerit, modicæ gratiæ pari opera ſatisfaciat: & quod ſe ſenſerit amiſiſſe, ſtudio etiã maiore requirat. Conſilium namque Dei eſſe, vel vt modicis auxiliis ſtudeat quiſpiam voluntatem ſaltem tueri calentem, & alacris conatum mentis ad opus; vel vt probo aliquo timore donetur, qui ſit omni deuotione præſtantior. Quanquam autem non magnopere angendum deceſſione gratiæ vir Sapiẽs exiſtimabat, probabat tamen triſtitiam quandam moderatam, quam & ſanctus Diadochus moderatam quandam deſperationem appellat, vt dum acceſſu, receſſuque gratiæ, modo læti, modo triſtes efficimur, in perenni quadam exercitatione verſemur, ſuę futuræ contẽplãdæ miſeriæ, ſeu felicitatis æternæ. Nam ſi nũc perbreuis eius, vel abſentia, vel, pręſentia, aut contrahit animũ, aut dilatat, ſi

Probabat tamen ſi modica inde triſtitia ſumeretur. S. Diadochus c. 86. & 87

tanto nos mœrore, aut voluptate perfundit, quãti tandem æſtimetur, non quidem ad exiguum aliquãdo tempus, ſed in omnem æternitatẽ diuino vel carere, vel gaudere conſpectu: quorum alterum eſt ipſa gehenna, alterum cumulata fœlicitas.

Capvt X.

Quo pacto ſe in deſolationibus, ac tentationibus & mœroribus animi ſolaretur.

Sed non deerat viro ſancto varia, & multiplex ſui conſolandi ratio, cum in vſu rerum diuinarum, vel inuito mens fugeret, vel pinguior illa exaruiſſet deuotio. Interdum ſolabatur animum cogitationum turba diſtractum contemplatione Chriſti Ieſu, qui tamdiu inter homines vixit ab ſui corporis gloria, qua conſors anima fruebatur, auulſus quodammodo, atq; diſtractus. Eodemque modo ſanctiſſimã Deiparam cogitabat, quã cum labes nullius vnquam noxæ tetigiſſet, tamen oportuit tandiu, & corporis, & animæ carere gloria, ſæpè etiam ab dulciſſimi filij ſui vſu conſpectuque diuelli: Conſolationis materiam, & tẽpus ei ſuppeditabat, & locus, Celebrabãtur Chriſti Domni natalitia, & ſacrificãtem ipſum, iam iamq; diuina myſteria

Conſolationis materiam fere ſumebat ex tempore.

ſteria participantē defecerat omnis iucunditas mentis, cũ in alto mœrore verſanti, quod rorantibus deſuper cœlis, nubibuſq; pluẽtibus. Iuſtũ, ipſe ſic areret; illa repente cõſolatio ſatis efficax præſto fuit. Quid tu vano mœrore cõſumeris, cũ in ſtabulum Chriſtus veniat: Naſcẽtem in tui pectoris præſepi nõ cerneres, ſi dignum ei parares hoſpitium, ea vox tãta hominem conſolatione permulſit, vt etiã lacrymas deuotionis expreſſerit. Proximo anno dum ardentiſſimã pietatẽ illã recolit qua Magi Reges Chriſti ſaluatoris adorauerũt infãtiã, cor repẽtè obduruit, & ad tãtæ ſenſũ lætitiæ, iuſtãq; gratulationẽ pigerrimè ſequebatur. Id indignè cũ ferret, cogitatio ſubiit, nimirũ dies agitur, quo Reges tres verũ adorãt Regẽ, periclitãdus es igitur, nũ tui Rex ſis. Nã parũ eſt te ipſũ vt regas, & vincas dum per ſẽſũ deuotionis iuxta Chriſtũ es poſitus, qui ſolet noſtra bella regere, quoad nos Reges effecerit. Aſchafemburgi vt ſuper narratum eſt, operabatur aliquãdo ſacris in Antiſtitis Mogũtini ſacello, tum exornato ſolito luculentius, plurimo accẽſo lumine, loculiſq; ſacrorũ cinerũ ad venerationẽ decore prolatis: Nec tñ externa illa ſpecies interiora pectoris permulcebat. *l.1. c.12.*

Algebat Dei Sacerdos tota procuratione myſterij, vt numquam ſibi videretur fuiſſe frigidior, & talis exiret è ſacello illo, qualis intrarat: facilè vt intelligeret deuotionis gratiam, non tam foris petendam eſſe, quàm intus: nec ex externis modò pẽdere cauſis, ſed diuinitùs inſtillari. QVO circa ſtudium in eo conquirendi tot externas, & aduẽtitias deuotionis illecebras ex eo die planè refrixit, & fugam meditatus eſt quandam omnis gratiæ, & fauoris humani: quòd animaduerteret vſu plerumque fieri, vt quo plus inueneris apud homines gratiæ, eo paſcaris in animo minus apud Chriſtum, & ſanctum eius Spiritum. Ad augendam verò, cumulandamq; Dei gratiam nihil eſſe tam efficax, quàm ſi quis rebus omnibus ſpoliatus, atque orbatus, æmuletur in patibulo Chriſtũ, cuius virtus crucifixi quærenda ſit prius, quàm glorioſi, non contra atque præpoſterè more multorum. Nec deerant viro ſancto interiores moleſtiarum aculei, cruces, atque triſtitiæ, non quidem ex amore rerum caducarum atque fluxarum, quibus vri, torqueriquc ſolent plerique mortalium, ſed ex flagrantiſſima Dei, & hominum charitate, & ex amore virtutis, quibus niſi perfecti

Humani fauores fieri aduerſi conſolationibus ſpiritus.

Vtiles Dei famulis cruces, & moleſtiæ.

Tribus ex cauſis omnes Fabri mœrores.

fecti viri, Paulique ſimiles non tanguntur. Omnis quippe crux eius, & omnis triſtitiæ morſus tribus oriebatur ex cauſis. Primũ, quod illuſtriores diuini amoris erga ſe notas in ſuo pectore non agnoſceret. Deinde quia plura adhuc veteris Adæ ſigna, quàm vellet, in ſe ipſe deprehenderet, & obſeruaret. Denique quia non ſatis magnus ſui laboris, & operæ fructus in proximis appareret. Nihil enim, quod ipſe moliretur, ſummæ illi modeſtiæ, & inexplebili charitati videbatur magnum. His rebus finiebatur omnis eius triſtitiæ crux, his erat incluſa cãcellis. Quam cum aliquando paſchalibus feriis haud ſine doloris morſu recoleret, reſponsũ accepit intus huiuſmodi. Tu quidẽ ſemper optaſti deponi de cruce, antequã ſis mortuus: Chriſtus autem in cruce mortuus eſt. Quin igitur & tu in hac cruce tua velle incipis mori? Nam ſi verè intueris, hactenus vitam ſpiritus tui in eo ſitam putaſti, quòd dulci erga Deũ pietatis guſtu permulcereris: quod non ita malè propenſus eſſes ſecundũ veteris Adæ conditiones: quòd videres aliquẽ fructũ manuum tuarum, vnde veſcereris tu, & vidẽtes opera tua bona. Nimis incõſtãs, & mutabilis hæc vita eſt: moriaris igitur illi ne-

Egregia cõſolationis ratio.

ceſſe eſt, & per mortẽ crucis planè illi cõtrariam. Primũ quidem, vt nullam prorſus redeũtẽ è rerũ diuinarũ vſu iucunditatem priuatim expetas. Deinde, vt quamuis vniuerſus reuiuiſceret homo vetus, modo citra culpã vel tenuiſſimam, ab omni animi perturbatione caueas. Poſtremo vt ne tu quidẽ angori triſtitiæq́; te dedas, cũ ex tuis laboribus nulla tu ſentias lucra animarũ, nulla videant alij, ſiue qui te ad gratulãdũ, & imitãdũ, ſiue qui ad calũniãdũ, & cõtẽnẽdũ obſeruãt. Hãc mortem vbi in cruce palã, ac publice, quãtũ in tui præparatione animi eſt obieris, proculq́; velut in ſepulcrũ cõdẽs, ab omni te tuimet, humanarũq́; ſuſpicionũ, expectationum, ac deſpectionũ cura, memoriaq́; ſeiũxeris, tũ poteris in nouã quãdã corporis, animæ, ac ſpiritus vitã exiſtere ſuauẽ ac permanẽtẽ. Quãquam autem non ignorabat, nec ad dexterã nec ad ſiniſtrã ex diuino præcepto declinãdũ eſſe, tutiùs tamen exiſtimabat, ſi ad alterutrã flectẽdũ eſſet, magis ad ſpẽ nimiam atq́; lætitiã, quã ad triſtitiã, deſperationẽq́; deflectere: quòd in hac ſexcenti lateãt errores, & multũ amaroris, in illa tutiora ſint omnia. Vtramq́; tamen vt grauitati cõtrariã, atq́; cõſtãtiæ amãdabat ab ſe ſe procul,

Magis probat nimiam in ſpiritu lætitiam, quã ægritudinem.

&

& abigebat. Nunquam autem in maiore aliqua animi moleſtia fuit, quam non continuò ſubſequeretur Dei lætificans conſolatio. Quin ex ipſo triſtitiæ genere colligebat argumenta lætitiæ: nam cum illa nec opināti obreperet aliquandò, & ex ſacro carmine illud ſibi ipſe triſtis, mœrenſque ſuccineret, quare triſtis incedo dum affligit me inimicus, interiorem quaſi vocem monentis audiit. Nihil eſſe cauſæ, cur ita triſtis, ac mœſtus incederet cùm ſe affligeret inimicus: imo eo potiùs fuiſſe lætādum, quod idcircò inuidus ille nos petat, vexet & affligat, quod inimicus ſit, quod eius volūtati noſtra non obſequitur, & obſecundat voluntas. Tum autem fuiſſe mœrendum cum affligeret, vexaretque nos Deus, à quo nos ideò ſuſpicaremur affligi, quod eius voluntati, nutibuſque nequaquam ſatis obſequeremur.

Capvt XI.

Solicitudo & ratio proficiendi.

QVæ cum ſint documenta non leuia incitatiſſimi curſus ad ſanctitatem, non erit alienum quibus ille ad eam ſe ſtimulis incitaret, breuiter indicare veniebat

in men

Incitatur ad priuatum ſuũ profectũ ex ſilẽtio Chriſti per annos triginta. in mentẽ vnicus Dei filius, ſplendor æterni Patris, & ſapientia; qui cùm ad oſtendendum ſalutis iter hominibus, hominum ſe natura veſtiſſet, non prius eos docere verbis inſtituit, quàm triginta ipſos annos factis, moribuſque doceret; vt tam diuturna reticentia eorum poſſet admonere ſuperbiam, qui prius ad magiſterium arroganter, ſtultéque proſiliunt, quàm ad diſciplinæ deſcendant humilitatem. Quæ cogitatio in Fabri quidem pectore tantam vim habuit; vt accuratiùs ſibi vacandum ſentiret in dies, & ſuis progreſſibus inſiſtendum, ſtuderetque nullũ omnino diem ducere ſine inſigni aliqua progreſſione virtutis: *Singulis diebus aliquid addendũ ad progreſſum.* quod qui ad operandam, procurandamque ſalutem, vitam nobis largitur, ac tempus, is omnem diem numeret, & obſeruet noſtri progreſſus. Quo loco illuſtrior eius in animo notitia facta eſt, quanta à Deo collati temporis exigenda ſit ratio, qui ſolus tempora, & momenta partitur. Homines enim ceterarum duntaxat rerum, quas ipſi commodarint, rationẽ à nobis poſſe repetere; Deum autem etiam temporis, qui ſpatia temporis ſolus largitur, & prorogat. Prorſus fortunatum vocabat, qui poſſet cognoſcere, quid quo-

que

que die ex ipſo Deus requirat. Acuebat ſe ad omnem laudem: & ſeptem præcipuè rerum genera, quorum ſe ſtudio, atque exercitatione poliret, quorumque priuatim eſſet reddenda ratio, ei ſemper ante oculos verſabatur. Primùm quotidiana ſingularum actionum conformatio, compoſitioque. Deinde ſui pectoris accurata diſcuſſio. Poſtea diligens & perattenta pſalmodia. Tum triſtis peccatorũ, & plena dolore confeſſio. Ad hæc piè ſacrificãdi, libandique Dominici corporis ſolicitudo. Præterea Sacramentorum conſiderata & prudens adminiſtratio. Denique perutilis ac frugifera vſquequaque diuini verbi tractatio, cum publicè in Templis, cœtuque forenſi, tum priuatim in circulis, congreſſuque familiari. Hæc ſibi nauus Chriſti diſcipulus ante oculos ſubiiciebat, his ſtudiis alebat ſuæ incrementa pietatis, hæc meditabatur, hæc elaborabat aſſiduè, atque vt ad plenum, perfectumque daretur perducere, perpetuis à Deo ſacrificiis, ac precibus ſupplicabat. Studioſè tenebat, quod initio didicerat ab Ignatio, vt ſe identidem obſeruaret, & in mores ſuos & ſuas noxas inquireret, & progreſſiones recognoſceret, vniuſque temporis fructus

Septem generib. rerum vtitur ad profectum.

cum

Cōparabat ſuos totius anni profectus ſub feſtum ſanctiſſimæ Trinitatis.

cum alijs temporibus compararet. Quod precipuè curandum cenſebat ſub diuiniſſimæ Trinitatis ſolemnia. Ad eam enim referri omnes myſteriorum Chriſti celebritates, in ea concludi. Initium igitur annui profectus inde ſumendum: ibidem reponendos euoluti anni fructus: præſertim quod labores Dei ſeruorum eò tendant, vt ſeipſos ædificent in habitaculum ac templum ſanctum, vbi ſanctiſſima ipſa Trinitas æternam faciat manſionem. Nouo item ineunte anno, dieque concepti Verbi æterni, quod fuerat initium redemptionis humanæ, ac cæteris ſanctioribus diebus incitabat ſe ſe, & nouos capiebat impetus, maximè autem vbi anniuerſarius religioſæ ſuæ profeſſionis redibat dies: ita recens ſemper, & integer, ſed tantò robuſtior, quantò virtus exercendo fit fortior ad propoſitū ſibi virtutis apicem contendebat. Et tamen non ceſſabat deplorare ſuas, vt appellat retroceſſiones, atque regreſſus, quos numquam ſatis deploraturum ſe eſſe commemorat. Et quāquam eorum frequēti recordatione commouebatur nec deerant permoleſtæ illæ, (quas ſuprà commoueraui) conſcientiæ formidines, & angores: mirabatur tamen

men ipſe diuinam ſiue clementiam, ſiue iuſtitiam, quod numquam, aut rarò ſpiritum eius exaudierit minitantem debitas pœnas, & exprobrantem ſibi peccata. Studebat ipſe diligenter ei, quam tantoperè, ſanctorum omnium commendabat vſus, animi permoleſtæ compunctioni, & iter ad eam dicebat eſſe voluntariam corporis afflictationem. Multos enim ſæpè angi, quod numquam animo conpungantur, cùm tamen conpungi corpore rarò velint: & multos expetere tormenta animæ ſuæ, qui nunquam velint torquere carnem ſuam. Deum autem, cuius eſt totum, quod eſt optimum, maiora ſæpe homini dona differre: vt dum minoribus comparandis inuigilat, quaſi quibuſdam gradibus ad ea maiora perueniat. Malebat tamen propter virtutum inopiam, quam propter noxas quotidianas, minimaſque compungi. Quo in errore hi plerumque verſantur, qui ſanctitati præ cæteris ſtudent, vt ad errata quotidiana magis intendant aciem, quàm ad lucra virtutis. Cuius & aliquando fraudis Fabrum piguit, ſtudioſiùs forſitan perſequutum artes errandi atque cadendi, vt ipſe loquitur, quam ipſa decora & ornamenta virtutum. Quā-

Studio compunctionis quàm vteretur & quid de eo ſentiret.

quam

quam enim virtus eſt vitium fugere, vt præſtans Poëta ipſe dixit: tamen in vnis deplorandis, contemplandiſque peccatis, perpetuo hærere defixum, nec ad maiora, & potiora ſuſpicere, id animi retardat impetum grandia molientis,& ipſa infringit, atque hebetat incrementa virtutis, quæ denique ipſa eſſe non poſſunt ſine fuga,& diminutione vitiorum. Quin idem animaduertit vnicum ſibi ad imbecillitates humanæ naturæ ſuperandas præſidium, mentem ad ſupera habere conuerſam, ac penitùs in iis occupatam: quòd monere videtur Apoſtolus dum ait;Spiritu ambulate,& deſideria carnis non perficietis. Sæpè enim ipſa imbecillitatum eiuſmodi retractatio,refricat,exacerbatq; plagas. Occupandam igitur memoriam, mentemq; ita cenſebat ſuperis,& ſequentibus, vt locus non reſtaret eorum recordationi,quæ deorſum, aut retro ſunt. Neceſſarium autem ad profectum exiſtimabat habere animo comprehenſos varios gradus cognitionis, aut voluntatis rerum ad Deum ſpectantium:ad quos vel adipiſcēdos, vel confirmandos perpetuo greſſu, certáque intentione tendamus.

Vnicum præſidiũ cõtra humanas imbecillitates, cor ſurſũ habere.

CAP.

CAPVT. XII.

Humilitas Fabri.

SEd de præſtanti aduerſus Deum pietate; deque proficiendi ſolicitudine ſatis. ſequitur huic affinis, néc admiranda minus in Fabro virtus, laus humilitatis, atque modeſtiæ, eo admirabilior atq; præſtantior, quo maiore cum ſapientia, & interiore eruditione coniuncta: Hæc enim vndique elucebat in Fabro: hæc ei omne genus adiungebat: hæc omnes aditus ad Principes viros, ampliſſimoſque Præſules aperiebat: hæc apud omnes gentes, quocumque pergeret, ſummis, mediis, infimis amabilem ſimul, admirabilemque reddebat. Quem nulla vnquam ſui ipſius inflauit opinio, tot licet bonis, & Dei donis ornatum, nullæ literæ extulerunt, nulla hominum admiratio inaniter excitauit. Qui tam modeſtè ſentiebat, & loquebatur ipſe de ſe, vt, cum abſolutæ, perfectæq; iuſtitiæ metam iam propè contingeret, tamen velut è carceribus nondum egreſſus tarditatem ſui curſus lamentaretur, ac fleret. Cùm enim inter orandum illud forte caneret, Ideò conuertetur populus meus hic, & dies pleni inuenientur in eis: Pſ 72.

vicem ſuam repētè doluit, quod nondum ſatis ad diuina conuerſus, nec ad id tempus non modo diem, ſed ne horam quidem ſatis ſibi videretur impleſſe: anxiè à Deo ſubinde precatus, ne qui dies amplius in ſe ſe vacui, ne qua actio inueniretur inanis. Vt autem tam demiſſe de ſe, maleque ſentiebat, & ſuos omnes, vt ipſe appellabat à ſanctitate receſſus, atque defectus, accerime perpendebat, ita ſuſpicabatur eos in alienos etiã oculos facilè poſſe incurrere: rogabatque ea de cauſa Deũ, ne ſpiritus improbi vllam in eis, qui ea cernerent, vim haberent: quorum ex obſeruatione, contemplationeque minor aut ad Deum ipſum gloria, aut ad proximos rediret vtilitas. Agebatque inſuper gratias ei, quod cum tam multa, vt ſibi videbatur, tot in locis, ac circulis deliquiſſet, nihil tamen à quoquam, quãtum ipſe noſſet, animaduerſum, notatumque eſſet vnde poſſet oſtendi: ſed nimirum vt in artibus multa peccantur, quæ niſi valdè periti non ſatis cernunt, ſic in vita multa delinquimus, quæ niſi perfecti, qualis erat Faber, videre non poſſunt. Itaq; ea ipſe accuſabat, & notabat in ſe, quæ ne peccata quidem ceteri numerabant. Vt enim in ſole multa cernimus,

Leuiſſima quædam in ſe viri ſancti notat ac dãnat.

mus, quæ fugiunt aſpectum, ſic cui verè Deus illuxit multa perſpicit quę ceteros latēt. Eodem humilitatis ſpiritu elatas animi cogitationes, ſi quādo nec ſentienti obreperent, caſtigabat, & in ipſo ſuo ortu necabat. Diſtinebatur in Hiſpania quondam puerorū cōfeſſionibus audiēdis ex infima Dynaſtæ familia. Quo in munere cū cogitatio illa pulſaret animū, Quid tu hic agis? Nūquid hic ades, vt in his paruulis tēpus teras? Quanto ſatiùs foret ſi viris grauioribus aures dares? Non tulit eius modeſtia naſcētem ſpiritū elationis, ſed antiqui ſui recordatione decreti: quo ſtatuerat, in omni vita, ſi è re diuina foret, abiectis hominū opinione muneribus diſtineri duntaxat: animum preſſit, & intra cancellos humilitatis arctè cōtinuit. Hic noua quædā mēti eius oborta lux eſt lōgè ſolito clarior, quāta eorum officiorum apud Deū vis, & magnitudo ſit, quę bono animō in tenuiſſimū quemq;, & in eius minimos conferuntur: vt nouo quodam, & acriore ſtudio exarſerit, ad complectendos præcipuè pauperes, ruſticos, pueros & indoctos, nauandamq;, quantum in ſe eſſet eis potiſſimùm operā, quos ab hominibus maximè derelictos, & deſtitutos animaduerteret. Quāquam enim

Quam accepti ſint Deo labores pro tenuiſſimis hominib. ſuſcepti.

interdũ apud nobiles opera collocetur vtilius, quod ex eorũ authoritate atq; imitatione virtus exoriatur multorũ: tamẽ ſiue quod his Doctores ſi libeat vti minimè deſint: ſiue quod non raró humani quippiam, minuſque ſinceri ſtudii officiis aduerſus eos admiſcebatur, Deum aiebat ampliorem conſueuiſſe benedictionem, & incremẽta vberiora largiri laboribus illis, quos in homines tenuiſſimos, & egenos, quam quos in Reges, diuitéſque conferimus. Nam qui dicit, Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis; eum vtique ſemper eſſe paratum pluris facere collata in pauperem, & obſcurum, quàm in diuitem, nobilemque noſtri laboris Officia. Quocirca ſtudendum pro viribus eſſe, vt quemadmodum Deo derelictus eſt pauper, ita nobis eum relictum, ac commendatum putemus: &, quem deſertum ab omnibus, non ſine quadam commiſeratione conſpicimus, ei ſaltem prompta officij noſtri ſedulitas, & viſcera noſtra non deſint. Nec modò in ſuis ipſe reprehendendis, & caſtigandis erratis frequens, & multus erat, quod paucorum admodum eſt; ſed, quod longè pauciſſimorũ, ea quoq; reprehendi, & carpi volebat ab aliis, omni non

Matt. 25

Reprehẽſiones aliorum, expetit.

non modo perſonarum,ac temporum,verumetiam modi, ac rerum quæ in reprehenſionem caderent, definitione ſublata: non ſolùm vt ſuperiorum, aut æqualium, verùm etiam vt inferiorum reprehenſiones ſibi duceret expetendas: nec ſolùm certi cuiuſpiam errati,vel noxæ, ſed erratorum omnium, atque noxarum, ſiue eæ veræ eſſent,ſiue confictæ: nec tum modò cum in lætitia,& vbertate ſpiritus animus eſſet, verùmetiam tum,cum eſſet in triſtitia, atque egeſtate. Quin ipſum quoque reprehendendi modum in reprehendentis poteſtate volebat eſſe poſitum, vt eum potiſſimùm adhiberet, ſi collibitum eſſet, qui maximè vreret, & incenderet. *Quomodo reprehenſiones accipiendæ.* Tantùm in reprehenſionibus latere boni bonus, & ſui boni cupidus intellexit. Optabat autem vt in eis ferẽdis, & admittendis, nõ tam modum reprehenſoris, ac verba, quæ deiiciendi animi vim habent, attenderet,quam reprehenſionis vtilitatẽ, ac fructum,quæ mores corrigit, & emendat. Neque cenſebat oculos ad reprehenſionis modum retorquendos,ſed in emendationis curam figendos. Multos enim exiſtimabat dum modùm ſpectant, nec in ſe habent, vnde animum in reprehenſio-

nibus ſolentur, ac mitigent, oneri obiurgationis ſuccumbere;qui verò aut habent, aut habere ſe putant,vnde animum cõſolentur ac placent,eos ferre ſedatiùs,placidiuſque caſtigationis aculeos. Ex quo vir prudẽs efficiebat,cautè reprehẽdẽdos eſſe qui ſibi ipſi nimium diſplicent, & quibus non eſt ad ferendum virium ſatis: ſibi autem placentes,viribuſque paulò firmiores multo lenius,moderatiuſq́;reprehenſionis tolerare conuicium. Erat tam nulla apud ſe Faber exiſtimatione; adeoq́; ſibi ipſe vilis,& in oculis ſuis paruus: vt cum multa, & magna faceret in rem diuinam, atque cõmunem,tamen perinde quaſi nihil ageret,angeretur:in eoq́; ſe ſe infelicior ẽ ſuis ſodalibus prædicaret, quòd nihil præ illis amplum,nihil magnũ gereret. Quãquam ex altera parte non poterat non admirari, & dignis efferre laudibus ſummam Dei bonitatem, quæ vulgaribus etiam noſtris, & perexiguis officiis, cùm ei perfectè adhæſimus, addit etiã aliquid de ſuo: vt, quę ex ſe videntur humilia,eo gloria cumulatiore donẽtur, quo abundãtiore charitate ſunt geſta.Quocirca præcipiebat ſpectandum nobis eſſe,non quid,& quantum pro Deo,hominibuſque geramus,ſed qua vir-

Prudentiſſima admonitio Euangelicis operariis.

tute

tute,& quanta geramus. Optandumq; magis eſſe, vt parua magno, quàm vt magna paruo,tenuiq;modo geramus. Magis enim & ad diuturnitatẽ, & ad Eccleſiæ bonum exilia facta cũ magna gratiæ largitate valere,quàm cum exili permagna. Atq; adeò magis cuiq; enitendum, vt repleatur ipſe gratia, quam vt ſine virtutis ſuæ incremẽto grandia moliatur. Et tamen ſpecioſis muneribus ſtudent omnes,& niſi ampliora tractẽt,ac ſplendidioribus occupentur, grandes ſibi ſatis non videẽtur, nec vllo inter homines numero. Quaſi laborandum Dei famulis magis ſit quo loco,numeroq; apud homines, quàm quo ſint apud Deũ: aut Deus noſtrorum indigeat effectu laborũ,non pia animorũ repoſcat obſequia. Tam demiſſè ſuis de rebus, ac laboribus ſentienti præſto erat illa conſolatio, plena & ipſa ſummiſſionis, atq; modeſtiæ, cum ſe ipſe conſolans,atque confirmans ita dicebat. Si minùs dignus es, qui Domino dominantium,& Regi Regum in animarũ meſſe deſeruias,certè poteris eius nomine tanquam minoris Domini famulus, vel alicuius ſancti ex Cœlitum numero cultor eſſe, vel mortuorum animis, qui apud inferos igne purgãtur, ſolicita prece ſeruire:

Capit vndique Faber humilitatis occaſiones.

id quòd certi hominis diligentiam, ſtudiumque deſiderat. capiebat demittendi ſui occaſiones, vel ex ipſis ſuis officiis, ac benè factis. Præerat confitentium animis ritè purgandis, & tacito voluebat in pectore, ſe ſcoparum inſtar eſſe, quæ cum cetera verrendo purgarint, ipſæ ſordidæ relinquuntur. Talem ſe & ipſe dicebat:& earum exinde munus ambiebat, & nomen ad euerrendas Chriſti domos nõ manu factas, ideſt animas, menteſque fidelium, in quibus ille ſuam ſedem, & thronum figit. Ad id operum, & ſtudium ſuum Chriſto detulit, id optabat, & precabatur Societatis hominibus, eius vt ſcopas effici, & appellari ſe vellent. Habere enim in Eccleſia ſua Dominum, tanquam in maxima domo inſtrumenta multa nobilia: ſibi autem, ſociiſque abundè fore, ſi ad euerrendam, purgandamque domum ſcoparum eſſe loco daretur: cuius etiam rei gratia ſacrificãdum nominatim cenſuit, vt annueret voto Deus, & verè dici cum ſociis ſuis inter cælites poſſet, ſplẽdidæ Chriſti, & glorioſæ ſcopæ, ſi priùs hic earum nõ ſplendidum opinione vulgi munus, quo ne dignum quidem ſe ſatis ducebat, cõſtanter, & diligenter inſiſteret.

Scoparũ ſe inſtar habet: eodẽq; modo de ſe ipſis ſentire cupit ſocios.

CAP.

CAPVT XIII.

Charitas Fabri.

COmitabatur altiſſimam humilitatẽ præſtãtiſſima Charitas,qua Deũ, & homines intimis ſenſibus diligebat: cuius gemini amoris indicium ingens fuit,cùm diuinæ gloriæ ſtudium,tum ſalutis humanæ. Nam ſi animæ Deum amantis eſt, vt ait Beatus Diadochus, gloriam Dei ſemper quærere in omnibus mandatis, quæ facit; quanto Faber amore dilexiſſe putandus eſt Deum,qui iam inde à principio non ſpe vllius honoris, aut emolumenti, ſed Dei gloria dũtaxat adductus,ſic enim in ſuis ipſe commentariis edidit,Sacerdotem initiari ſe voluit? Qui ſuis in factis, dictis, & cogitatis doctore Ignatio perdidicit, maxima Dei gloria ſemper duci? Hanc nimirum ſpectabant acres illæ ſtudiorum curæ, quas ſuprà ſignificaui:hanc contemptio rerum humanarum: hanc tam variæ, tam longæ peregrinationis errores: hanc in omni congreſſu iucunda comitas, affabilitaſque ſermonis: hanc continens illa triſtitia animi, atque defectio, qua tangebatur pro peccatoribus

c. 12.

Indiciũ maxima charitatis Fabri.

derelinquentibus legem Dei: huc denique omnis eius actio, & cogitatio referebatur. Exiſtimabat ſe non ſatis piè in Deum facere, nec è re diuina, gloriaque ſatis, ſi ſtuderet magis à Deo diligi, quàm Deum diligere. Adeo cunctis in rebus quærebat, & ſpectabat optimum. Quin antiqui pigebat errati (ſi tamen in eo errati potuit eſſe ſuſpicio) quod maluerit Ioannes eſſe, quàm Petrus: quorum ille diligebatur, hic diligebat. Quanquam enim quòd Beatus Auguſtinus verè docet, vir doctiſſimus non ignorabat, præſtantius eſſe à Deo diligi, quàm diligere; amari, quàm amare: cùm ex amore, quo nos diligit Deus, gignatur in nobis amor, quo diligimus Deum: tamen, vt inter homines loquimur, videbatur ei nimium, ſe ipſum amantis, nec tam vtile ſibi, ſi ſtuderet magis amari, quàm amare: cum contra ſibi faciendum eſſe ſentiret, ſi ſinceriſſimam Dei gloriam quæreret, vt magis in ſe Petrum exprimeret, quàm Ioannem: cuius luculentiſſimum indicium eſſet, ſi quòd ab amante Petro Chriſtus exegit, vt ſuas oues paſceret, id ipſe ſine vlla operæ intermiſſione præſtaret. Ad eam cupiebat ſinceræ charitatis altitudinem

Malebat in amore Dei Petrus, quã Ioannes eſſe.

Gradus altiſſimus charitatis.

tudinem peruenire, vt animæ ſuæ exitium non ſua timeret cauſa, ſed Chriſti. Conſiderans enim magnitudinem pretij, quo empta eſt, cupiebat ingenerari ſibi cum ſenſũ, vt magis timeret, ne in ſe immenſum illud Redemptoris amantiſſimi pretium deperiret, quàm vt ipſe gehennæ tormenta perferret. Sanè quo Chriſti magis in amore creſcebat, eò ad tuẽdos homines àcriùs exardeſcebat. Obuerſabatur, vt ipſe de ſe ſcribit, ante oculos mentis nimia illa, & nullis circũſcripta finibus Chriſti charitas, qua ſe tam variis tamque multis modis totum dedit, & effudit hominibus, æquis pariter & iniquis, probis & improbis, & admonebatur, quodammodo graui voce, vt & ipſe totum ſe impertiret hominibus, alloquendo, docẽdo, beniguè faciendo, laborando eorum cauſa, & aſpera tollerando; & quacunque denique poſſet ope, totum ſe, ac ſua omnia omnibus tribuendo.

Ex amore ſuo erga Chriſtum, & Chriſti ipſius erga homines exardeſcit in ſtudium iuuandi proximos. Vide.

Capvt XIIII.

Patientia Fabri.

Sed quanta fuerit, & quàm præſtans in eo charitas, vel ex patiẽtia & benignitate

nignitate quę sũt Apoſtoli ſentẽtia,primæ ſoboles charitatis facilè queat intelligi.
Peregrinationes Fabri. & in ijs ærumnæ.
Patiẽtia indicarunt variæ peregrinationis incõmoda,frequẽtes,diuturniq; morbi ex aſſidua contentione laborum, anxia deſideria, & depaſcens præcordia zelus ob affectas in Germania, & propèmodum inſanabiles Chriſtianæ reipublicæ partes. Quoties huc,illuc ſine recuſatione cucurrit? Quoties commeabat, & remeabat ſemper expeditus, & calceatus in præparationem Euangelij pacis, obijt præcipuas Europæ partes,atque Prouincias, concurſauit Italiam, Galliam peragrauit, Germaniam celebrauit, Belgas adiit, luſtrauit Hiſpaniam, penetrauit in Luſitaniã: quarum ſingulæ multi eius ſudoris, ac laboris etiamnum teſtes ſunt fœtæ frugibus fructibuſque, quos ille ſæuit. Sæpè etiam fiebat, vt peregrinus, & exul permutaret hoſpitia; quia cum certas ſedes, ſtabileſque nuſquam haberet, erat ei plerumque vel pauperum ad hoſpitia ſanè ſordida, & inquinata, vel ſi illa deeſſent, aliò nihillo commodiùs diuertendum. Sæpè etiam domicilia ſubeunda infida, ac ruinoſa;Sæpè ea, quæ in regione, ac tempeſtate perfrigida vndique frigus peruaderet; nec ra-

ro eò ſuccedendum, vbi præter tectum, & aliquid paleæ, aut fœni nulla ad diuerſandum opportunitas erat, nec denique ſemel quies fuit captanda ſub dio: ſed incitabat ſeipſum ad itinerum patientiam, atque laborum, miſerabili illa Chriſti ſpecie duro in ſtipite perpetientis extrema, & acerbiſſima illa perforatione manuum atque pedum, ſe identidem admonebat, nequaquam ſuis vel in operis labore manibus, vel in itineris defatigatione pedibus parcendum eſſe. Quin etiam ita ſibi vidēdum, vt in his tandem apparerent ſui Redemptoris inſignia, & laborum impreſſa veſtigia: vt cum Apoſtolo poſſet dicere, Ego autem Stigmata Domini in corpore meo porto. Nec exiguum illud erat patientis animi documentum, quod cùm in Dei, vel animarum cauſis expectandus forſitan quiſpiam eſſet, ferebat omnem moram, omnēque expectandi moleſtiam patientiſſimè deuorabat. Quoties colloquij cauſa ad viros Principes, nobileſque ſe contulit? Quoties ijt, rediitque viam? Quoties pro foribus excubauit? Quamquam quid mirùm tanta eum conſtantia aditus obſediſſe Magnorum, qui tenuiorum quoque moras tranquilliſſimè ferebat?

Qualia Domini Stigmata Faber expeteret.

Patiĕtia dum expectat iuuenē ad confeſſionem ex condicto venturū.

bat? expectauerat aliquando iuuenem ex condicto ſex horas, dum ad confitenda peccata ſe ſiſteret, eumque non tam cunctantis perfidiam (ſemel enim iterumque fefellerat expectantem) quam tantam iacturam temporis ægrè ferret, confirmari mirificè à Deo, cuius gratia tempus illud duceret, cœptus eſt. Deinde ſecum ipſe ſi tu tot horas, inquit, propter Deum ad fores Principum ſæpè collocas minimè turbulenter, propterea quod morarum tædia ſpes leuat Diuinæ mercedis, cur cunctantem, morantemque te Chriſti minimum non item boni conſulas, ſedateq; feras; num cenſes minus hinc, quam illinc tibi repoſitum coronarum, ac præmij? Quoties tu ad oſtium tui pectoris pulſantem Ieſum ſurdis auribus detines? nec tamen vis, vt ille tædio victus irritetur, tibique ſuccenſeat: ſed potiùs vis nihil vnquam vt eius defatigetur patientia, nihil commoueatur ſuauitas. Eſto igitur & tu talis in eius minimos; eſto talis, qualem ipſum met in eos fore crederes, ſi corpore palàm ſpectabili præſens adeſſet. Interim recurrebat affectus ille animi, quo ſæpè ferebatur in homines, vt non pro vniuerſis modo, id quod minùs laborioſum eſt, &

ſpecio

ſpecioſum magis, verumetiam pro ſingulis hominibus, & vnaquaque anima, omnia laborũ genera, omnia pœnarũ peteret: poſito ſibi ante oculos Redemptoris amore, qui cuiuſuis hominis totus eſt, & pro quauis animula, eò vſque ſollicitus, vt hãc refertam ærumnis vitam ingreſſus, omnes eius cauſa dolores, ac cruciatus, omnem acerbitatem, dedecuſque pertulerit. Nec verò prorſus irrita eius vota fuerunt, ſi continentes laborum moleſtias, & morborum, quos frequenter incurrit, cruciamenta perpendas. Erat in eo inſatiabilis quædam laboris fames, vt cum omnino nulli in eo ſubeũdo eſſet inferior, ſępè quęratur tamen & gemat, quod pauca pro animis gerat, ne conſẽtanea viribus actio reſpondeat. Quin etiam ſuperiorem accuſat ætatem, quod plus nimio ſuis commodis otioque conceſſerit, minimum autem animorum. Sed nimirùm voluntátis ardori virium in agẽdo tenuitas par eſſe non poterat: & vt ſatis pro re publica laboraret, nũquam tamen ſibi ipſe faciebat ſatis. Declarabat morborũ crebitas quantum moleſtiarũ, atq; laborum, pro animarũ ſalute ſuſciperet, quib⁹ dum indulget, parũ autẽ valetudini, diu ſolitus eſt ægrotare: vt fidẽ faciunt

Frequenter ex laboribus ægrotat, nec tamẽ interim ceſſat à laboribus

faciunt ciuitates illæ, quæ eum ſæpè videre iacentem, Parma, Louanium, Valliſoletum, Barcino, & Olyſippo. Quibus tamen temporibus numquam ceſſabat, nec à labore feriabatur ægrotus: quin etiã in mediis interdum æſtibus, conſultores vt de officio reſponderet, auſcultabat: nec vnquam aut vocem ſitientibus Dei verbum, aut aurem peccata confitentibus denegabat. Morbi autem difficultates, quanta animi æquitate ſuſciperet, inuictum ab oratione ſpiritum numquam relaxans, quoque plus hauriret dolorum, eò plus ſitiens, abundè ex ſupra dictis apparet. Quin etiam cum aliquando attentiùs reputaret angores, ærumnaſque tot genera calamitatum, quibus obſita eſt vita Mortalium: eaque ferre pleroſque terrenarum cauſa rerum, ad lacrymas vſque commouebatur, quod vt ſibi videbatur, vita ſibi flueret omnis expers calamitatis. Et quamquam conſiderabat, qui nec habeat, quæ videntur, nec appetat: ſed ſolum æterna extra mundi procellas, maxima ex parte poſitum, dolebat tamen quod pro his bonis, quæ non videntur non plura, ac duriora experiretur. Nam ſicut ſæculi homines in bonis quærendis, & con-

ſer

ſeruandis hiſce, quæ ſub oculos cadunt multa ferunt ex aduerſariis item aſpectabilibus, ſimiliter oportere, qui in bonorũ ſpiritualium cura elaborant: ad quærenda ea, conſeruanda, amplificanda, grauia perpeti multa, & varia ſpirituales per hoſtes. Sed tamen illa erat triſtitia magna, & continuus dolor cordi eius aſſidua in animarum aperta pernicie commiſeratio, quæ maiores ei cruciatus, quàm morborum inferebant aculei. Veniebant in mentem cõtumax Angliæ Rex Henricus Octauus, & deuotus iam gehennæ Lutherus, aliæque id genus perditæ, deploratæque, iam animæ. Nec finem faciebat diuinæ admirandæ clementiæ, quæ tam diuturnam eis vitam daret, ſiue vt reſipiſcerent, & ad ſaniora conſilia redirent, ſiue vt iuſtus aliquis pro eorum ſibi reditu ſupplicaret, & ſuam ad id operam, ſtudiumque conuerteret. Ex quo efficiebat, videndum etiam atque etiam iis, quibus docendi, prædicandique Dei verbi poteſtas fieret, ne multi, qui cohiberi à lapſu poſſent, ipſorum perirent, ac perderentur incuria. Hinc & ille tam anxius, totaſque animi medullas excedens Dei zelus, cùm præcipitantis in omne exitium Germaniæ labes, atque ruinas, deſpe-

Maxima eius ægritudo ex zelo domus Dei.

ratis cunctis penè remediis identidem reputabat. Id erat illi tormentum, vt ipſemet affirmat, & inſtar crucis, ex quo Prouinciam illam omni quondam religione florentem, ſed tùm vndique collabentem, & tot in ea vel cadentes, vel iam planè proſtratas hæreſum vaſtitate, & quidem ſine Sacerdotum adminiculis ciuitates inſpexit. Illo quippe ſpiritu viuebat, quo dictum eſt. Vidi præuaricantes, & tabeſcebam. Sed pia triſtitia vt Auguſtinus ait, & ſi dici poteſt beata miſeria vitiis alienis tribulari,

Quæ pia triſtitia, & beata miſeria dicitur. epi. 141.

« non implicari, mœrore, non herere: dolore
« contrahi, non amore attrahi: hæc eſt in-
« quit S. Doctor, perſecutio, quam pa-
« tiuntur omnes, qui volunt in Chriſto piè
« viuere ſecundum apoſtolicam veram,
« mordacemque ſententiam. Quid enim
« hic magis perſequitur vitam bonorum,
« quàm vita iniquorum, nō cum cogit imi-
« tari, quòd diſplicet, ſed cùm cogit dolere,
« quod videt? Quoniam coram pio viuens
« impiè, & ſi non obligat conſentientem,
« cruciat ſentientem. Et quidem hic cru-
« ciatus eo vſque adegerat Fabrum, vt iam
« arriperet in animo fugam, & prouinciæ,
« quam ſors dederat, pœniteret. Tanta in-
« terdum deſperatio rerum animum occu-

pabat.

bat. Ex altera parte reuocabat ſe ad ſpem nimio pereuntium amore:nec eum putabat audiendum, qui ſemper adducit incommoda, & perdifficiles, atque inexplicabiles res omnes antè oculos ponit; ſed potiùs eum, qui ſpem, & animos magnos facit, omniáque pollicetur ſe duce, & adiutore facilia.

CAPVT XV.

Benignitas Fabri.

HEc verò patientiæ laude minor benignitas fuit proles altera charitatis. Hâc frequens in egentiſſimum quemque miſericordia declarabat, non quidem ea, quæ à diuitibus huius ſeculi diuidendis opibus; ſed ea, quæ à pauperibus Chriſti famulis opera diuidenda; nec tam ea, quæ corporibus, quàm quæ animis ſolet impendi: quanquam & corporibus propter animas frequens aderat, ſeu publici Valetudinarij ſubleuandis ægrotis, ſeu reliquis egentibus quacumque poſſet ope iuuandis. Tametſi in hoc genere ſuis ille non contentus officiis, ſuam

Aegrotis inſeruit ſtudioſiſſimo.

quodammodo accuſat ignauiam, quòd ad eorum leuationem non ſit plura, & maiora conatus. Potuiſſem inquit, pro eis ſtipē oſtiatim emendicare, potuiſſem Præſules, & opulentos, chirurgos, & Medicos, Ciuitatum Præfectos, ac Magiſtratus adire, vt per eos eis vberiora ſubſidia compararem. Ea de cauſa ægrotorum omnium cuſtodes Angelos; & eorum, qui aliquandò malè habuiſſent in hac vita, implorare conſueuerat, vt laborantium ipſi curam, ac patrocinium ſuis precibus, ſuffragiiſq; ſuſciperent: ſibi verò nouam aliquam vim exorarent, facultatemque conſulendi in poſterum accuratiùs eorum ſolitudini, & indigentiæ. Quare & Moguntiæ dedit operam, vt ægrorum vaga mendicitas in vnū coacta loco tecto, lectoque exciperetur, & diligentiùs ſolito curaretur. Cùm autem ſua ægrotis præberet obſequia, ad vincendum inter eorum pedores, atque contagia naturæ repugnantis horrorem, animaduertit nihil tam valere, quàm inductionem quandam animi perpeti cupientis vltima quæque, & in eo ipſo munere, ſi vſus eſſet, ſe offerentis ad mortem. Elaborabat in his officiis eo contentione maiore, quo pulchriore à Deo corona donatur, præſertim

Mendicos ſubleuat.

præſertim in iis, quæ conferuntur in animos: quibus quo plus miſericordię, officiique tribuimus, eò plus noſtris animis miſericordiæ Dominus impartitur. Certò enim dicebat experimento conſtare, & Euangelica doctrina liquere, quo quis in proximos benignior fuerit, eò largiorem ei occurrere ſolitam miſericordiam Dei, nullis ſæpè votis, ac precibus euocatam: minimique mirum eſſe, ſi quis inter orandum eam animo delectationem non percipit, quàm affectat, quia variis huius vitæ diſtentus occupationibus, atque diſtractus, his colendis miſericordiæ ſpiritalis officiis non ſtudet ſatis: in quibus, quo plus ſtudij, curæq; locaueris, eò plus Deum tuis in precibus deguſtabis. Viam quippe ad orationem, & flagrantis animi vota benefactorum ſtudio plerumque muniri: viciſſimque precationem & vota per expeditum eſſe, & ſatis exploratum iter ad illa: vt quo propenſior ad vnum fueris, eò paratior reperiaris ad alterum. Varia autem & multiplex eius erat in animos miſericordia. Nam delinquentibus ignoſcebat, & condolebat afflictis, & ſolatia triſtibus afferebat: egenteſque re, verbo ſupplicatione iuuabat: Conniuebat in eorum caſi-

Opera miſericordiæ ſpiritualia ad ſpirituales cõſolationes præparant.

bus, & erratis: & ab eo, quod vel minuere opinionem cuiuſpiam poſſet, vel coniunctionem dirimere, aſpectum auertebat, & mentem: ad eámque rem crebras preces adhibebat, & ſacra. Nec aliò nomine cogitationes illas, quæ diſiunctionem animorum facerent appellabat, niſi frigora quædam maleuolorum Dæmonum: eos etiam atque etiam admonens, qui tuendis animis ſe dediſſent, ne abiis, quas dixi, cogitationibus, veluti frigidis quibuſdam ventis ſe impelli, perflarique ſinerent: quos vtique ventos aliena ſæpè commouent acrius inſpecta, & obſeruata vitia. Hinc ſæpè fieri, vt vel bona de proximis abiiciatur opinio, vel ſpes eorum ſalutis infringatur, & cura langueſcat. Quapropter ſtudendum eſſe pro viribus non modo, vt omnis in proximos commota ſuſpicio, copioſæ noſtræ charitatis ardore, verùmetiam quicquid in aliena vita vitij, turpitudiniſque deprehenditur, obruatur; vt vincas in bono malum: nec inſpectis malis ab hominum congreſſione, curaque diſcedas. Plurimùm autem ad id valere, ſi in hominum vitiis, atque peccatis non ſpectes res in ſeipſis, ſed potiùs ea, quæ Dei ſunt in ſignis benè placiti eius.

Coniunctionem animorũ, quãti faceret.

Quibus præſidiis conſeruãdam in omnes beneuolentia.

eius. Nam ſi res in ſe ipſis vitiorum ſcilicet plenas, malorumque perpendas, prærerquam quòd in errorem facilè incides, & te ipſe decipies, citò etiam perturbaberis, & in amore frigeſces, citò ſuſpicionibus, triſtitiaque replebcris: & proſperos rerum deſperans euentus, peiorem ſemper in partem rapies omnia. Cùm inter Miſſæ ſacrum aliquando, & auguſtiſſima illa pacis myſteria metu quodam corriperetur, ne charitate coarctaretur, & quibusdam quaſi tenebris pectus eius offunderetur aduerſus homines quoſdam, quorum in animo vitia recurrebant, tulit protinus id reſponſi, Caue potiùs ne tibi Deus, quem antè oculos vides, cor ſuæ hilaritatis occludat: neve cor tuum erga ipſum, & ea, quæ Dei ſunt, contrahatur, & deducatur in anguſtum. Nam ſi id dilatetur, & explicetur in Deum, viciſſimque Deus in te, facilè fiet, vt cetera omnia erga te aperta tibi, & explicata videantur. Vide igitur vt tota animi deuotione feraris in Deum, & Sanctos eius, & tum denique quid ad proximum quemque pertineat, ſiue amicum, ſiue non amicum, nullo negotio reperies. Hæc & alia id genus ipſe ſecum. Monebatque vt

In offenſionibus quærenda victoria non fuga ſed acceſſu.

in his cōtractionibus, & acerbitatibus variiſq; offenſionibus animi, victoria, non fuga, & referēdo pede, declinādis videlicet hominibus illis, quorū cauſa tales in animo motus, & perturbationes exiſtunt; ſed acceſſu potiùs, & ad eos adiunctione quæratur: quòd fecit Chriſtus, qui tam malè de ſe meritis ita ſe adiunxit, vt poſt mortem etiam haſta tranſfixus in eum ipſum, qui transfixerat, cruorem effunderet: quòd luculētiſſimum conſtantis eius charitatis in inimicos indicium fuit: vt quo longius odio proueheretur impius dum Chriſtum abigit & interficit, eo maiore Chriſtus proueheretur amore, dum non modo non fugit inimicum, nec eum corpore, animoq; declinat, ſed totum ſe ſe ei tradit, & percuſſori corpus obiicit, vt eum non modò viuus, verùmetiam mortuus noua ſanguinis effuſione curaret. Atque hunc in modum ſuis inimicis penitùs ſe aperuit, & ampliſſimæ ſuæ Charitatis prę-cordia dilatauit.

CAP.

CAPVT XVI.

Conſolandi proximos ſtudium.

HAud minor in conſolando, condolendoque, & pro omni hominum genere ſupplicando Fabri benignitas fuit. flebat cùm flentibus, & alienos mœrores mœrebat vt ſuos, nullo diſcrimine perſonarum, nullo delectu. Cumque ad conſolandum res nulla ſuppeteret, verborum certè officio,& oratione non deerat. Hoc autem magis alienis angoribus angebatur,& dolentibus condolebat, quòd bonum ſui mali pauci perpenderent, nec calamitatem à Deo ſentirent inuectam boni ſui cauſa. Totam autem lugentiũ fraudem, atque metum ſcilicet in eo verſari, quod Chriſti ſortem reformidant, ac pauent, veriti ne ſtatum eum, quem in Cruce ſortitus eſt ille, ſortiantur & ipſi: vel certè ne latronis boni, aut Beatiſſimæ Dei Parentis, aut Ioannis Euangeliſtæ ſimiles fiant. Omnes enim omnium timores, angoreſque indè exiſtere, quòd nolint vel ſibi, vel ſuis aduerſi quippiam euenire ſiue iure, ſiue iniuria. Qui recuſant calamitates quas commeriti ſunt, boni latronis, qui quas ſe meritos non arbitrantur, Chriſti

Dolet maximè in proximorum malis, quòd illi bonũ ſui mali non ſentiant.

Domini conditionem refugere: qui verò non ſuis,ſed vel amicorum doloribus, vel propinquorum miſerè angũtur, eos Ioannis & Mariæ ſortem horrere. Verùmtamen,quæ eſt mortalium cæcitas:illud potiſſimùm omnibus vitari modis, ne quando ad ſtatum redigantur ei ſimilem, ad quem Chriſtus in cruce redactus eſt.Itaq; ad conſolationem hæc conſideranda monebat:& illam antè oculos habẽdam Caluarij ſpeciem,in qua Chriſtus, & latro bonus è cruce pendentes. Mater autem ſanctiſſima,& dilectus diſcipulus propè Crucem ſtantes aſſiduè ſpectarentur. Augebat autem dolorem, mœroremque commiſerantis Fabri,quòd de ſuis rebus,atque miſeriis referre ad Deum pleriq; neſcirent:& humanis freti præſidiis diuina negligerẽt. Quæ res pietatem hominis acriter ſtimulabat, vt alienas ipſe Deo clades,& ærumnas exponeret; eique pro omnibus omnium anguſtiis, perturbationibus,calamitatibus, egeſtatibus ſe ſupplicem exhiberet: vt vehementer cuperet, velut alter Moyſes poſſe omni tempore ſuſtinere manus elatas, vt hominibus tot inter prælia cõſtitutis,totque inter dolores, ſiue viuis,ſiue mortuis,auxiliũ, ac leuamẽtum afferret.

Ad conſolationẽ in calamitate quæ conſiderãda.

Dolet neſcire homines ad Deum in aduerſis perfugere ſeque ipſe quaſi omnium vicariũ & interpretẽ gerit.

afferret. Deſcripſerat ſibi in animo varias
hominum vexationes, & calamitates,
morbos, perturbationes, angores, fames,
deſperationes, egeſtates, & alia id genus
innumera, vt tanquam bonus ſeduluſque
Sacerdos, qui, vt ait Chriſoſt. quaſi cõmu- *In p. ad Timoth.*
nis quidam totius terrarum orbis Pater, *6.*
ſingulorum cauſas ageret apud Deum. Et
ſtudio ardebat incredibili, vt miniſtrum
ſibi eſſe liceret liberatoris, & vindicis
Chriſti, per eumque in ſuis cuique peri-
culis, & ærumnis opitulari, etiam in his
ſi audere fas eſt, quæ cùm ſint extra fines,
terminoſque naturæ, corrigi, ſanarique
ſine vi diuina, miraculoque non poſſent.
Reponit hoc in Dei beneficia vir gratus,
ac pius, quod charitate impellente dunta-
xat, & ſine vlla animi elatione percuperet
morbos diuturnos, & inſanabiles, & vitia
ipſa emendare naturæ, ſi ita præſtaret, & è
diuina re foret. Non enim, quo ſe immiſ-
ceat vanitas, vt Bernardus ait, vbi totum *ſer. 13. in*
occupat charitas. Itaque & cæcis videndi *Cant.*
facultatem & ſurdis audiendi, & claudis
ingrediendi, & deſperatam ſalutem ægro-
tis, & vitam ipſam iam vita functis red-
dere commiſeratione quadam ardentiſ-
ſimæ charitatis auebat: monebatque fide,
quæ

quæ in proximis patratum ſit magna charitate potiſſimùm excitãdãm: ex hac enim vna cum fide, eaque vel tenui oriri ſolitam, quaſi quandam ad ea patrandã fiduciam ſine vlla temeritate, vel faſtu: charitatem enim non inflari, non ventoſam eſſe, non ambitioſam. Vtinam quæ in hoc genere ab eo vi diuina ſunt facta, ea vel ſuis ipſe commentariis addere, vel aliis ex æqualibus mandare litteris voluiſſet: ſed nec ſancti viri ſingularis modeſtia tulit, vt hæc adiungeret, nec intenta rebus gerendis antiquitas, vt illa ſcriberet. Memini tamen ego, ab annis ampliùs triginta hanc in Societate fuiſſe famam, ex antiquitate profectam gratiam ſanitatum Fabro fuiſſe collatã: id quod etiam in Ignatio Ribadeneira meminit, cùm ornatum illum dono ſanitatis fuiſſe teſtatur. Confirmat famam veterem, teſtimonium recentiſſimum, quòd ex Oliuerio Manareo qui multa ad hiſtoriam Societatis, vt me leuaret onere, ſtudioſè collegit, nuper accepi. Brugis erat non ita multò ante Maria quædam Vandonem ex Cœnobio, quod Carmelitiſſarum vulgò appellant, ſanctimonialis octogenaria, quæ multis coram teſtibus affirmauit, ſe Louanij cu-

Gratia ſanctitatum in Fabro.

jas

jas ipſa erat, annos natam vndeuiginti, grauiſſimo fuiſſe morbo à Petro Fabro diuinitùs liberatam. Redundabat in ea bilis atra tam perniciofa, tam noxia, vt veluti innato quodam, domeſticoque veneno totum corpus inficeret, ac perturbaret. Linquebatur interdum animo ex alta nocte triſtitiæ, & redigebatur ad vltima tanquam mox è corpore migratura, deficiebat ad defectionem animi, pariter aſpectus, & quendam ad horrorem veluti ſuis emota ſedibus lumina condebantur. Exibat de poteſtate mentis, & tanquam ardenti febri delira loquebatur aliena: accedebat etiam dæmonis vexatio quædam, qui cum ad arbitrium Virginem exerceret, ſatis indicabat, quis eſſet tantæ peſtis machinator, & author. Fœminam ſic affectam Fabri miſericordiæ reſeruauerat Deus. Is indignè ferēs Dei Templum fieri Sathanæ domicilium, cum inter æſtus muliebres acceſſiſſet, ſemel atque iterum Ieſu Nazareni nomen inclamat. Ad eam vocem Virgo reſipuit, & in ſeipſa reuerſa quaſi pulſa extemplò caligine, videre ſibi viſa eſt nequiſſimos ex ſe ſe ſpiritus auolare: quibus eiectis, fugatiſque, vt eam Faber ad meliora traduceret, & quo vellet
flecteret

flecteret, ac torqueret eius archana pectoris, quæ mulier ad eam diem nulli prodiderat, clàm illi aperit: deinde ſpondet ſi Deo confidat, nono eam die ab omni prorſus malo liberam fore. Interea ex interuallo reuiſebat ægrotam, & piè Ioannis Euangelium, manu capiti impoſita, recitabat: denique expleto, quem predixerat orbe dierum, tot malis cumulatam fœminam reduxit ad ſalutem. Quàm multa in vno prodigio prodigia! oppreſſam inuſitato morbo fęminam reſtituit valetudini, lymphatam fugato dæmone, & penè fanaticam ſanat, interiora pectoris perſpicit, futura prædicit. Tantum eius ſingularis integritas, & fides accenſa, & miſericors charitas apud Deũ valuit. Habemus apud nos tanti miraculi teſtimonium, & piæ mulieris ſyngrapham à Manaræo miſſam muliebri chyrographo, & grauiũ teſtium quibus hæc affirmaſſe dicitur, conſignatã. Qui & illud addunt alia huiuſmodi mirabilia ſupra naturæ vires à Fabro geſta, & morbos ſimiles profligatos: quorum tamẽ benè, ac ſigillatim commeminiſſe temporis diuturnitate non poſſunt. Vrgeamus miſericordiam hominis, & cætera benignitatis argumenta promamus.

CAP.

CAPVT. XII.

Studium in Fabro proximorumm calamitates, orationibus leuandi.

CVm res deerat, vnde hominibus benignè faceret, & ſuo more cuique ſeruiret, ipſe tamen ſibi non deerat quominùs inflammatis votis, & vt dudùm dicere inſtitueram, ſedula ſupplicatione prodeſſet. Quàm aptè in hominē miſericordem, & tantis viſceribus preditum Sacerdotis perſona quadrabat; prorſus vt electus videretur à Deo, vt repropitiaret peccata populi, & miſericors fieret, & fidelis Sacerdos ad eum, à quo & viſcera erga mundum vniuerſum ſibi data cōmemorat. Vt verè videatur illud ſcripſiſſe Macarius. Qui gratia ducuntur, ad eam interdum exultationem, ac dilectionem accendi à ſpiritu, vt ſi fieri poſſet, omnes homines in ſua viſcera mitterent, nullo diſcrimine habito bonorū, vel malorū. Ita & Faber ſine vllo diſcrimine ſinus ſuos erga omne genus hominum explicabat, & pro omnibus ſatagebat ante Deū, & quò quis perditus magis ac profligatus, eò illū miſe-

Pro ſcele-ratiſſimis miſericordia maiore complectebatur, vt Lutherum, vt Bucerum, & Melanctonem & cæteram hæreticorum fæcē, atque colluuiem: quos cum paſſim audiret multorum per ora traduci, gignebatur in eius animo miſeratio quædam, ſtudiumque orandi, & ſupplicandi pro eis. Statuerat & hæreticos, aut abhorrentes à Chriſti fide ciuitates ſeptem ſuo penitùs animo, mentique mandare, quarum pro ſalute diuino Numini vota faceret. *Pro ſeptē precipuis ciuitatibus.* Danimarchiæ Metropolim Vitembergem in Saxonia, Geneuam in Sabaudia, Antiochiam, & Conſtantinopolim, Hieroſolimam, & Alexandriam, in quibus non deſperabat aliquem aliquando de Societate fore, qui Chriſtiano ritu inſtitutoque ſacrificia factitaret. Quòd & in his pleriſque factum magna noſtra cū voluptate iam vidimus. Quo verò precum eſſet vis acrior, erigebat eas, excitabatque, & inflammabat cogitationibus altiſſimis. *Qua ratione preces ſuas altiſſimè extolleret.* Quorum cauſa inſtituerat preces, eos proponebat ſibi, vt pretioſo redēptos Chriſti ſāguine, vt eiuſdem hæreditatē ac regnū. Nominatim autem Romanum Pontificem ſic intuebatur vt Chriſti Vicarium, & ſancti Petri ſucceſſorem, Epiſcopos, vt aliorum ſucceſſores

res Apoſtolorum: Sacerdotes, vt Chriſti Diſcipulos: ceteros è clero, vt Diſcipulos Apoſtolorum: Generales Præpoſitos religioſorum Ordinum, vt Vicarios eorum, qui ordines ipſos fundaſſent, Benedicti, Bernardi, Brunonis, Dominici, Franciſci, aliorum: reliquos verò Religioſos, vt ſanctorum eorundem diſcipulos: ſeculares denique poteſtates, vt poteſtatis iuſtitiæque Dei miniſtros: vnde fiebat vt ſimul excitaret ſtudium ſuum, perſonarum dignitatem, ac pretium intuens, ſimul optimo Deo, Chriſti, ſanctorumque eius merita ſenſu maiore proponeret; ac demum aſſueſceret ipſe magnificam devnoquoque opinionem animo gerere. Haud minor in mortuos, qui non dum expiatas vitæ maculas acerbis infrà terras luunt ignibus: miſeratio erat: quorum multi longiores in iis moras trahunt, leuiſſimaſque retinentur ob noxas, quo minus omni ex parte beati ſint. Pro his igitur ſingulares ipſe Deo preces, & hoſtias ſolicitus offerebat, & quidem tanto animi ſenſu, tanta commiſeratione, vt interdum perpetua liturgia lacrymæ vbertim fluerent. Optabat aliquando vim ſentire dolorum, quos Paſſionis ſuæ tempore pro ſua miſericor-

Oratio pro Mortuis.

Miſeretur intimis ſenſibus animarũ purgatorij.

dia Chriſtus Ieſus ex tot animarum cruciatibus antè oculos iam tum propoſitis ſentiebat. Ergo ipſiuſmet Chriſti filij cruciatus ad Patrem pro earum cruciatibus, angores pro angoribus, dolores pro doloribus allegabat. Et ipſi nominatim Chriſto Domino ſupplicabat per illam eius charitatem, atque miſericordiam, qua latroni in cruce pendenti dixit, hodie mecum eris in Paradiſo: neque enim minore illas animas neceſſitate vrgeri. Et mos eî erat ad leniēdos illos ignes, ijs potiſſimum vti formulis ſupplicandi, quas in curandis funeribus, mandandiſque ſepulturæ corporibus Catholica vſurpat Eccleſia quòd iis quoque delectari Deum diceret, & præ ceteris precibus approbare, quamuis mortuorum iam animi nobis neſcientibus, & adhuc pro eorum liberatione precantibus in cœlo viuerēt. Quippe valere etiam ad corporum anaſtaſim, cuius pariter mentio in illis precationibus vſurpatur. His præterea officiis exerceri augerique fidem eius articuli, qui eſt de anaſtaſi carnis; excitari memoriam animarū, ad agendas Deo grates pro illis, ſi iam gloriā poſſiderent, & ad exorandam veniam, ſi expiandæ retardarentur. Viſis item cadaueribus,

Magni facit inſtitutas ab Eccleſia pro mortuis precationes.

ribus,ac ſepulchris,non modo memoriam ſubire mortis, ſed admirationem æternæ ſapientiæ, quæ ex viliſſima puluere ſpecioſiſſimum corpus reſtituere deſtinaſſet: ſimul agi gratias Deo debere,quòd per talia adminicula dignatus eſſet præclara multa ad ſui commendationem nominis perpetrare. Ipſe autem in animis prece iuuandis ad indigentiam cuiuſque accommodabat precandi rationem: vt veniam à Deo cuique peteret, pro eis maximè rebus,in quibus quiſque habita perſonarum, munerumque ratione potuiſſet aliquãdo peccare,vel ab officij perfectione diſcedere:vt, cùm Theologi Pariſienſis doctoris de Comibus ſibi familiaris ex familia Sancti Franciſci nuntiata mors eſſet, is pro eo fuſus in preces benignitatẽ diuini numinis implorabat,facilẽ vt mortuo veniã, & pacẽ daret:ignoſceretq; ſi quid in obtẽperãdo,ſeruãdisq; ſuæ diſciplinæ legibus deliquiſſet:ſi quid in paupertate, & caſtitate colenda peccaſſet: ſi ſuperuacaneæ literarum ſcientiæ rerumque cognitioni dediſſet operam: ſi in ea percipienda, & communicanda cum proximis ſuæ gloriæ, non diuinæ ſeruiſſet: ſi quid denique toto ſuo munere obeundo, gerendoque

Accomodabat precationem ad eius, pro quo orabat, conditionem.

maculæ cōtraxiſſet, quòd illis eſſet ignib. expiandum. Ex altera parte precabatur ei conſentaneam perſonæ, virtutique mercedem, & lauream illam decuſque ſingulare, quo affici apud ſuperos ornarique Doctores hominum, ac magiſtri ſolent. Quoniam qui docti fuerint, & ad iuſtitiam erudierint multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Danti aliquando, & pro iis, qui mortui purgantur ſupplicanti lux quædam de illarum acerbitate pœnarum ſolito maior, quo maiore miſericordia caperetur, affulſit. Verſabantur ante oculos mentis animæ illæ ſimplices, & à corporis concretione ſeiunctæ, quas longè acriore cruciata mala omnia, pœnæve perſuaderent, quàm ſi ſuis eſſent prędıtæ & veſtitæ corporibus. Longè quippe interiorem, profundioréque putabat eſſe dolorem, qui animo ſinę corpore, quàm qui per corpus inuritur: quòd mortali corpore intermedio diſtrahitur quodammodò dolor, atque diuiditur, ne totus penetret, & feratur in animum. Animus autem ipſe nudus, ac ſimplex tanquam veſte detracta, omnem doloris ictum, omnem ſenſum pœnarum excipiat. Quamuis enim poſt nouiſſimum iudicij diem nihil illi ex corporis

Dan. 12.

Pia com-tatio de pœn... ani-marum.

corporis Societate de dolore decedat, quin etiam augeatur, & duplicatus accedat, tamen hoc quòd gerimus corpus longè aliter affectum, non parum eleuat, & obtundit dolores, qui animum tangunt. Nec diſſimile eſt, quod ſanctus Abbas Dorotheus in ſuis ſermonibus docuit, Animam vitioſis affectibus, quos hinc deportat obnoxiam vehementius ſolutam corpore; quàm cõiunctam ab iis vri, atque incendi, Quia ſola eſt, inquit, cum cupiditatibus ſuis, à quibus inflammatur, & ardet: nec eſt aliquid intermedium, quo retardetur, ac veluti retuſus hebeſcat dolor. Atque hæc Fabro cogitatio & miſericordiam acuebat, & preces: quas alia inſuper cogitatio nõ mediocriter incitabat, quanti demùm intereſſet & ad honorem, gloriamq; Dei, & ad commune Eccleſiæ bonum, ſubſidiumque viuorum vel vnius animæ miſſio ex illis ignibus peruolantis in cælum. Quandiu enim in iis eſt, eam vt in compedibus vinctam eſſe, ne aſpirare poſſit illuc, vbi vel Dei gloriam tam amanter, & auidè curet, vel noſtras agitet apud Deum cauſas, atque rationes: quorum vtrumque ſanctæ animæ ſimul in cælum euolant, intenta mente procurant. Voluiſ-

Ser. 12.

Incitatur ad orãtiõ pro mortuis, ex bono quod inde redit etiam ad viuos.

ſet tantùm ſibi adeſſe ſtudium, atque ſenſum in offerendis Deo ad animarum liberationem meritis Chriſti, quantū ipſæ animæ, quanquam nihil ſibi proficientem, haberent: deq́; beneficiis Dei & grauitate peccatorū eam habere notitiam, quam eædem in eo loco percepiſſent. Rogabatq́; vt illos dolores ad vberiorem gloriā promerendā ſibi inutiles pro nobis Deo ipſæ dicarēt: vt intelligeremus quantopere vitanda peccata ſint: quantūq́; curæ, ac diligētiæ ſit in virtutis ſtudio, ac diuino cultu ponendū; ac priuatim notitiam, & odiū nanciſceremur earum culparum, propter quas ipſe purgatricibus flammis exurerētur. Deteſtabatur vel eo nomine Hæreticorū inſaniam, quod tātùm animis quoq́; illis ſuperba eorū impietas dānū afferret.

S. Gregorium præcipuè colebat in orationibus pro mortuis.

Contra verò ſummum Dei Sacerdotem B. Gregoriū multis amandū nominibus, ſed hoc præcipuè quòd ignis Purgatorij doctrinā tam luculenter, dilucideq́; tradiderit, præcipuo ſtudio ſibi colēdū putauit. Exiſtimabat niſi tā multa pius ille Doctor de mortuorū animis, qui deportatas hinc maculas igne purgant, tam diſertis verbis, atq́; dilucidis diſputaſſet, futurum fuiſſe, vt minus adhuc multi ſua reperirentur

ætate,

ætate, quos mortuorum vlla tangeret miſeratio. Quocirca maiore inpoſterũ ſtudio apud ſe ſtatuit in eorum commemorationibus, atque ſuffragiis eius meminiſſe doctoris: atque id ipſum prædicare vbique, & commendare, vt qui in hunc pij eſſe vellent, eadem opera officioſi eſſent in mortuos: &, qui in hos eſſent officioſi, eodẽ viciſſim pietatis officio tanti Pontificis vota & piam eius apud Deum commendationem expeterent. Vt autem ipſe mortuorũ patrocinium accuratè ſuſceperat, ita ſuſcipi volebat à noſtris: cupiebatq; vt vbi voce, ac deprecatione non ſatis poſſent, tot impediti curis, tot imperatis diſtenti muneribus; ſaltem ex his officiis, ac benefactis, quæ ſunt tacitæ quædam poſtulationes, ac preces, eorum animis impertirent: &, vbi linguæ deeſſet officium, manuum ſedulitas non deeſſet. Nullus ſit dicendi modus ſi de charitate pergam longius cum ipſa non habeat modum.

CAPVT XVIII.

Prudentia Fabri.

PRodeat illa, quæ ceterarum & aurigal virtutum! ſingularis Prudentia,

ſeu in ſuæ moderatione vitæ, ſeu in aliorum informandis moribus, animiſque tractandis. Atque in ſuis quidem Faber actionibus, quatuor illa ſibi arctè tenẽda, & obſeruanda conſtituit. Primùm vt vnamquamque rem gerendam prudenter inſpiceret, an ea eſſet eiuſmodi, vt ſua ſpontè referretur ad Deum: & cùm ſuo eſſet animo ſalutaris, tùm vtilis alienis. Deinde qua mente, quóve animo ea fieret, vt ab vtraque gena, quemadmodum Bernardus ait, commendaretur eius animæ facies, eíque iure dici poſſet à ſponſo, Quam pulchræ ſunt genæ tuæ? Tum quo ductus ſpiritu vnamquamque rem gereret, ne quòd amanter, & filiorum more gerendũ eſſet, id ab eo ſeruiliter gereretur. Deniq; perpenderet ipſe ſecum quanta ſit facilitas Dei, quanta clementia in eo accipiendo, quòd damus, admittendiſque laboribus, ac contentionibus noſtris, cum ſolus ipſe laborem, doloremque conſideret. Nec minor illa prudentia, quam à R. N. Patre quondam hauſerat, vt exacto die quotidie, priuſquam iret ad quietem ea ſigillatim componeret, & ordinaret, quæ ſibi eſſent gerenda poſtridie: credo ad obtinẽdam animi tranquillitatem, vt ſupra ſignificatum

Quatuor in actionibus ſuis ſpectabat.

Serm. 40. in Cant.

Veſperi actiones ordinabat diei ſequentis.

ficatum eſt, amputandamque omnem de re inſequẽti ſolicitudinẽ. Multa huiuſmodi, quæ commemorare non eſt neceſſe, ad moderandam vitam ſuam, prudenter excogitabat: nec pauciora, vel minora ad alienam informandam. Ac primum quidem omni affabilitatẽ ſermonis, facilitate, beneuolentia; quas chriſtiana in primis condiret humilitas, ſibi in omnes vtendũ: primaſque ſibi vel tenuiſſimo cuique deferendas exiſtimans; ne quis ſe cõtẽptum putaret, ne quis neglectum, exæquabat ſe prorſus Chriſti minimis: & tanquam illorũ ſortis amicus reuerebatur omnes, deſcendebat ad omnes, vt omnes ad ſe allliceret, & Chriſto lucri faceret. Quod ſe Spiræ cumulatiſſimè conſequutum, teſtatur ad amicũ his ipſe verbis. Spiræ cum duobus meis hiſpanis vſque ad decimũ Octobris egi, eam mihi gentem conciliando & habitui meo, qui eſt ſecundum vſum Sacerdotum Hiſpanienſium. Quid hic egerim circa initia, nouit per literas meas charitas veſtra. Benedictus Deus, qui dedit, vt finis, & receſſus melior fuerit. Nemo enim iam Spiræ erat, ſiue ex ſecularibus, ſiue ex Sacerdotibus, qui nobis non eſſet perquam beneuolus: ſed & ipſi, qui nobiſcum

Prudẽtia agẽdi cũ proximis ac primũ in omni lenitate, & affabilitate.

„ maximè diſſentire videbantur, quantum
„ ad ea quæ fidei ſunt, videntes conuerſa-
„ tionem noſtram,& animos,hi inquam,be-
„ neuoli erant omninò;ita vt cum dolore re-
ceſſerimus quantum ad ſpiritum, ſed ſemper Spiræ futuri ſumus. hæc ille. Ad hanc morum facilitatem conciliatricem animorum, ac voluntatum adiungebat Angelorum implorata præſidia, conciliãdis ſibi cuſtodibus ſingulorum, quorum conſultum animis vellet. In iis ille multum ponebat, ſiue ad præparandas ſibi multifariam, multiſque modis hominum voluntates, ſiue ad debilitandas vires Dæmonũ,frænandamque licentiam. Quemadmodũ autem quod priore etiã libro ſignificauimus inter homines fit, vt ad quẽ aditum captant, per eius coniunctiſſimos irrepere, ac munire ſibi viam conentur; Patrem inprimis, Matrem, Magiſtrum, fratres, ſorores: ita in concilianda gratia eius, cui per exercitationes ſpiritus,aliterne ipſe prodeſſe cuperet, adhibebat preces ad Patrem cæleſtem, vt ad Patrem illius: & ad ſanctiſſimam Virginem, vt ad Matrẽ:& ad Angelum eius cuſtodem, vt ad Magiſtrũ, & quaſi pædagogũ, & ad ſanctos Viros ſanctaſq; feminas quib. ille

Deinde adhibitis ſanctorũ. hominũ, & Angelorum patrocinijs.

eſſet

eſſet præcipuè carus, vt ad eiuſdem fratres ac ſorores. Præclarum hoc ambitionis, & commodiſſimum genus putabat. Ad capiendam verò multitudinem, totoſque cœtus, præter aduocata de cælo præſidia, conſueuerat ſibi primos aditus aperire per proceres, ac Dynaſtas: quorum authoritate permoti, reliqui facilè & ipſi manus darent: vt in Germania Spiræ, atq; Moguntiæ, aliiſque nobilibus in vrbibus: & in Belgio Louanij, & in Hiſpania Valliſoleti: & in Luſitania Olyſippone, Conimbricæq;. Quibus locis quantum Fabri virtus, & induſtria profecerit, ipſimet teſtes ſunt, & ſuperior noſtra omnis declarat hiſtoria. Indagabat vias omnes omnibus conſulendi, & quocumque ingrediebatur omnem pij ſermonis occaſionem intenta mente captabat. Quin intempeſtiuæ ſe nõ nunquam taciturnitatis accuſans, cuius vitio plurima ſaltem bona fieri deſinerẽt, quę facta ab hominibus ſalutem parerent; ſtatuit in poſterum accuratiùs interiori parere voci, & monentem ſpiritum exaudire; nunquam vt verbo parceret; ſed in omni congreſſu, atque conuictu, in circulis, ac cõuentibus, in Templis, ac foris, in domibus, atque viis, in conuiuiis, & itineribus

Tum gratia etiam Poteſtatum.

Addibebat etiã aſſiduum ſtudium ſermocinandi de Deo

itineribus ex Gregorij Magni præcepto curaret, quæ ſingulis diceret, & quemadmodum vnumquemque moneret: vt quiſquis ei ſe iungeret, aut quo ille ſe adiungeret, quaſi e ſalis tactu æternæ vitæ ſapore condiretur. Sanè Maximilianus Capella Louanienſis, cuius ſuprà facta eſt mentio, cum ab eo in Luſitaniam vnà cum alia multa ſuæ ciuitatis ſobole, quæ ſe ei adiunxerat, mitteretur, ſeque Fabro ad aliquod ſpatium comitem præbuiſſet, narrabat, tanto ardore flagrantem illum toto illo itinere ſe vidiſſe, cum in omnibus hoſpitiis, ac diuerſoriis, in viis, in naui, cunctiſque locis de diuinis rebus ſermocinaretur, vt ad ſe audiendũ cunctos traheret, & in admiratione̋ ſui raperet. De eodemque ad amicum ſcribit ita Caniſius. Illi » nihil æque in votis eſt, ac Chriſto cooperari in ſalutem animarum. Nullum ex illius ore verbum, ſiue in vſu, familiarique congreſſione, ſiue dum menſæ accumbit prodire audio, niſi quod Dei honorem, & pietatem ſonet, neque tamen ob facundiam audientibus grauis, ac moleſtus eſt. » Hæc de Fabro Caniſius adoleſcens cùm » primum virum Dei nouit Moguntiæ; quæ » iam ſenior, dum Procuratoris animarum

abſolutam

abſolutam formam deſcribit, affirmauit "
his verbis. Talis vtique Procurator fuiſſe "
videtur P. Petrus Faber, qui per varias na- "
tiones obedientia duce ſic eſt peregrina- "
tus, vt Chriſti bonus odor eſſet in omni "
loco, & ſecundum Apoſtolicam regulam "
proximo ſuo in bonum vbique placeret "
ad ædificationem. Hanc enim illi gratiam "
contulerat Deus, vt in omni conuerſatio- "
ne; adeoque in conuiuiis, atque diuerſo- "
riis, & aulis Principum bonus ille homo "
de bono theſauro cordis ſui bona profer- "
ret: & cum de rebus piis more ſuo diſſere- "
ret; profanos etiam auditores ſanctè re- "
crearet, Chriſtique negotium, ſine cuiuſ- "
quam tædio, & modeſtia iucundè ageret, "
ac promoueret. Didicerat videlicet ab ipſo Chriſto ſanctis epulas condire colloquiis: nec, vt plerique, poſitis ante oculos cibi ſuauitatibus fallebatur, ſed ventrem, ac palato ſuperior ſtatuerat oportere ſibi eſſe conuiuium, vbi lectio ſacra non ſuppetat, diuini ſermonis eſcam, non blandæ voluptatis illecebram. Belliſſimum ducebat eſſe, & noſtri ordinis proprium relinquere in omnibus domibus, & hoſpitiis, quo diuertimus, veſtigium aliquod ſanctitatis. Vbique enim conſulendum hominibus eſſe,

Captandæ undique occaſiones iuuandi proximos.

bus eſſe, vbique plantandum, vbique colligendum, cùm debitores ſimus omnibus: & vbique nos ſpectet Deus, cuius famulos & adminiſtros eſſe nos voluit. Ideo committendum non eſſe, vt fruſtrà aliquid ad notitiam noſtram, conſpectumque perueniat, quia Chriſtus quem ſequimur, nihil in ſe fruſtra, & inane permiſit; non rei cuiuſquam aſpectum, nũ vocis auditionem, non iter vllum, non ingreſſum, nõ ſtatum: eundemque cum copiam diuerteret, non temerè, ac fruſtra, ſed conſilio, ac ratione ad hos potiùs, quàm ad illos & oculos, & itinera direxiſſe: nec fruſtra, ac ſine cauſa modo maritimũ, modo terreſtre tenuiſſe iter, modo foris, modo domi, modo ſolum & ſecum ipſo: modo inter homines, & cũ hominibus voluiſſe verſari. Nihil enim in eius actionibus inane fuiſſe, nihil ſuperuacaneum, nihil redundans: non ceſſionem, aut inceſſum, non ſtatũ, aut quietem, nihil denique temerè, & ſine cauſa, vt ſuo nos erudiret, & informaret exemplo, nihil vt in nobis deprehendatur inane, nihil ſine cauſa, nihil inutile. Hoc re Faber, exẽploque docuit, vt quocumque pedẽ inferret, non ſine fructu referret, præſertim in itineribus, ac diuerſoriis. Qui cum in Hetruriam,

Nihil à famulis Christi debet fruſtrà fieri, Chriſtũ vbique imitantibus.

Quoſdam exules graui ſermone reddit meliores.

riam, vt ex Manaræo nuper accepi per Senarum, Florentiæq́; fines haberet iter, hyeme ſæuiente, & ingruente nocte, ruſticum diuertit ad hoſpitium, quò & graſſatores ex inopinato mox ſexdecim, exuléſque facinoroſi dum nocturnam ad quietem tecti aliquid vagi perquirunt, tumultuosè ſuccedunt. Accũbunt vna omnes, & vt genus hominum ſolet, dum ventrem farciunt, eructabant ſermonibus ſuis obſcœnitatem omnem, cum interim Faber vt pauper, cõtemptuſq́; Sacerdos tacitus ſederet ad focum. Quem ex ea turba conuiua procax, & ceteris petulantior, animi cauſa verborum obſcœnitate laceſcẽs, quid tu, inquit, de noſtris his colloquiis, ac ſermonibus ſentis? Cui Faber, ego vero dudũ mecum ipſe recolo formidabile Dei iudiciũ, peccati turpitudinẽ, propoſita impiis exquiſita, & peracerba ſupplicia, denique ſtatum omni miſeratione dignum, in quo vos eſſe magno meo dolore contemplor. Ab hoc exordio verba facere de his ipſis rebus tam ardenter inſtituit, tamque ad viuum periculi magnitudinem, horrendum Dei Numen, impendentem ſingulas in horas mortem, gehennæ ſempiternos ardores exprimere, & oratione depingere; vt homi

vt homines procaciſſimi maleficiis aſſueti, & omni vitiorum dedecore infames animum extemplò mutarint, nec prius inde receſſerint, quàm apud Virum ſanctum eo ipſo loco magno animi ſenſu ſua confeſſi, & deteſtati peccata nouæ vitæ inchoarint initiũ. Ita omnes incenſi Deo, ab igne Fabri, & è latronibus in Angelos verſi longè alij atque acceſſerant, ab eo hoſpitio receſſerunt. Tulit & piæ collocutionis fructum cùm per Galliam in Hiſpaniam Hortiij comes, vt ſuprà demonſtrauimus, mitteretur. Quo tempore comprehenſus à Gallis vna cum Comitibus, & coniectus in carcerem, ipſum Arcis cuſtodem ad reconciliandum, placandumq; ſibi Deum, & confitenda ſibimet peccata conuertit.

CAPVT XIX.

Fabri prudentia in iuuandis proximis concione, & exercitiis ſpiritualibus.

DIcebat & interdum ad populum: ſed in congreſſu, colloquioque familiari vis maior: in hoc ille ponebat omnia, in hoc hærebat, & habitabat: in hoc præcipua pollebat gratia. Obſeruabat in prædica

prædicatione verbi Dei præſtantiſſimum, & maximè tenendum oratori Chriſtiano præceptum, vt is inter dicendum daret operam, vt idem eſſet ſpiritus in partu, qui fuerat in conceptu: hoc eſt, vt eodem animi ſenſu, eodemque affectu dicendo, agẽdoque pareret illa, quæ diceret, quo commentando, cogitandoque conceperat. Sæpè enim fieri, vt læto iucundoque animo pronuntiemus ea, quæ triſti, ac dolenti concepimus. Ex quo etiam illud efficitur, vt ea quæ dicimus minus interdum audiẽtibus proſint, quia non eodem animi ſenſu eodemque ſpiritu, quo cogitata ſunt, efferuntur. Quocirca audiendum eſſe Doctorem optimum ſanctum ſpiritum: & eius imitandam in nos docendo rationem; vt, quemadmodum ille antè dicendi tempus nos intus docet, ad eundem ipſi modum, cum ad dicẽdum acceſſimus, hoc eſt eodẽ animi compuncti dolore, iiſdem gemitibus, eos, qui nos audierint, doceamus, ſi eorum animis, ac ſaluti, verè proſpectum, ac conſultum volumus. Hanc aiebat illorũ verborum ſibi videri ſentẽtiã, Venit Ieſus in ſpiritu in Templũ: propterea quod Spiritus Dei, qui ad agendum nos impellit, noſtro non ſinit ſenſu duci: nec ſequi, &

Præceptũ prædicantibus Dei verbum.

audire nos ipſos. Quod præceptum hominibus conuenit Fabri ſimilibus, qui recto ſe ad dicendum ſtudio comparant: tantoq; interdum ſenſu, vt defatigati, effuſoq; impetu, poſtremo in actione langueſcant. Nam qui ita dictionem adornant, vt futiles ſententiolas, ac verborum inanes floſculos conſectentur, iis nullo negotio, ſed malo ipſorum euenit, vt quo conceperunt ſpiritu pariant: leuitatiſque fundant ſpiritum, qui præpararunt ſpiritum leuitatis. Quos autem Faber ſiue publicis, ſiue priuatis ſermonibus incitaſſet, taleſq; ſenſiſſet, non modo volũtatis ardore, ſed magis etiam intelligentiæ præſtantia, vnde certior operæ fructus, & minimè dubia ſperaretur vtilitas, hos ad vſitata Societatis exercitia blandè, ac prudenter alliciebat. Idcirco ſapientiſſimum, & aptiſſimũ quēque, cuius deinde perſpecta progreſſio, & huius præſidij tueretur authoritatem, & ad eius vſum ceteros incitaret, his telis inuadebat: & ea extemplò de his exercitationibus fama ſurgebat, vt eas nec inuitati cõplures expeterent & ſibi vltro depoſcerēt.

De exercitiorum ſpiritualium vſu Caniſij ſentẽtia.

lib.1.c.13

„ Vnde Caniſio oblata occaſio, quæ ſuprà
„ protulimus ad amicum ſcribendi authoritatis tantum habet, vt ei ſe ſpiritualiter informan

formandos, multi Religioſi, multi Epiſco- “
pi, Doctores multi tradiderint. Et mox “
de ſe. Quod ad me attinet dici non poteſt, “
quemadmodum exercitationibus illis ſpi- “
ritualibus animum meum, ac ſenſus im- “
mutari, mentem nouis cœleſtis gratiæ ra- “
diis colluſtrari, & nouo quodam vigore “
me affici ſenſerim: ſic vt etiam in corpus redundāte diuinæ beneficentiæ copia, totus corroborari, atq; in alium prorſus hominē transformari viderer. Erat Valli ſoleti vir honoratus, ac diues, qui Fabri fama, & opinione permotus ſupplex ad eum venit, vt precandi ſibi viam, & certos locos ad commentandum traderet. Cui Faber, priuſquam illum ad vſitatas exercitationes admitteret, ſatis habuit contemplationis loco quatuor hęc contrariis contraria relata ex ſua & Chriſti collatione præſcribere. Chriſtus inops, & ego diues: Chriſtus famelicus, & ego ſatur, ac benè paſtus: Chriſtus nudus, & ego benè, ac decore veſtitus: Chriſtus feſſus, ac defatigatus; ego laboris, & defatigationis expers. Quæ cum ille quatuor accepiſſet, ab eo digreſſus, velut ante pedes poſita, & ſæpè decantata contempſit. Expectabat videlicet aliquid reconditum magis;

Inſignis conuerſio viri honorati ex ſimplici ac breui cōmentatione à Fabro propoſita.

nec cum forſitã Fabrum, quem apud animum ſuum ſibi iam formarat,inuenit. Verùm diebus aliquot interiectis, cum eſſet à propinquis ad cõuiuium inuitatus,inter lances,& pocula occurrerunt animò contraria illa relata,& in eorũ ſenſum, mentemq́; penitus intrauit, tam aperta earum rerum intelligentia,tãq́; illuſtri notitia, vt præ ſuaui commiſeratione Chriſti, cuius forſitan famen cum variis illis iucundiſq́; dapibus conferebat,conuiuis inſpectantibus erũmperet fletus:tãtus autem lacrymarum impetus fuit, vt ex epulis in conclauĕ diſcedere; & ſingultibus, ac ploratibus cedere ſit coactus: vt ſatiaret ſe pane lacrymarum, & vino compunctionis ſe potaret:longè vtique iucũdioribus, quam quæ guſtauerat in humano illo, vanoque conuiuio. Tum demùm ſenſit, non fuiſſe ridenda, quæ ſuggeſſerat ſeruus Dei, quæ tantos motus, ac ploratus cierent. Ea eſt enim diuini verbi vis in ore Sanctorum,vt quamuis trita, & antè oculos poſita videantur effari,relinquãt tamen in animis infixos aculeos, & inſtar generoſi ſeminis; quamuis puſilli, & perexigui ſuo tempore vim ſuam prodant.Redit igitur confeſtim ad Fabrũ, & repentinos ſuos inter epulas

motus,

motus, lacrymaſque commemorat. Senſit Faber paratum iam pectus ad accipiendos maiores ſatus, & ab humanarum rerũ ſtrepitu, curarũque tumultu vocat hominem ad vſitatum cõtemplationis ſeceſſum. Hic ille nouis lacrymis ſe ipſum luget, & vitam deplorat anteactam, hic accurata, & humili cõfeſſione repetitis à prima pueritia peccatis animam lauat, & vitæ alterius orditur initia. Denique duce Fabro, atque Magiſtro, multum poſtea proceſſit ad virtutis aditum, vt principiis reliqua conſentirent. Nec mirum tantos ab eo fructus ex Ignatij meditationibus Fabro præceptore perceptos, cum in eis ritè, atque vtiliter ſuggerendis Fabro ipſi primas B. Pater ex iis, quos in Societate tum noſſet, Ludouico Conſaluio teſte, deferret.

B. Ignatius primas Fabro in tradendis exercitiis tribuebat

CAPVT. XX.

Diſcretio Spirituum in Fabro, & peritia curandorum animorum.

PORrò in tractandis animis, eorumq; non modò cognoſcendis, verũetiam curandis, ſanandiſque morbis, eximiam quandam ſuo vſu prudentiam comparauit. Etenim profitetur numquam ſe acerbiore ægritudine animive morbo fuiſſe

tentatum, quin eodem tempore veram, & propriam eius curandi rationem, ſuppeditante Deo vim petendi, quærendi, atque pulſandi repererit. In diiudicandis autem animi motibus, ſiue de rebus ſuis, ſiue de alienis, & in pernoſcendis ſpiritibus, artibuſque ſatanæ, numquam ſe quantum, iudicare potuerit, aberraſſe: Nec diuina vnquam voluntate permiſſum, vt falleretur, præferentibus Deo, & Angelis, quos crebris precibus inuocabat, opportuniſſimũ, & gratiſſimum menti lumen. Ergo ex vſu ſuo laborantibus ceterorum animis facilè medebatur: & habebat prompta cuique morbo remedia. Nemo enim melius alterum curat, quàm qui ſe ipſum curare didicerit: nemo rectius docet, quàm qui bene ſe ipſe docuerit. Nouerat vti naturis hominum & ingeniis: & ex periclitatis multorum moribus, atq; naturis, artem tenebat agendi cum vno quoque propriam. Nam & cum iis, qui toti hærerent in corpore dediti vitiis, & cooperti flagitiis; & cum iis, qui ſedis Apoſtolicæ autoritate contempta praua dogmata tuerentur; & cum iis, qui cum emerſiſſent ad frugem, ſtuderent benefactis, & vitam cum virtute iam colerent, & cum iis denique qui ad amorem

Nullo Faber animi morbo tentatus eſt, quin eius propriam curationem inuenerit

amorem Chriſti totis animis, curiſque conuerſis. Euangelicæ perfectionis culmen expeterent: cum his, inquam, generibus omnibus pro cuiuſque moribus, ac conditione propriè, ac ſigillatim Faber agebat. Ac vitioſis quidem & facinoroſis ad ſua deploranda, & aperienda peccata comiter adductis multas, & varias in ipſo Pœnitentiæ Sacramento, ne redirent ad ingenium, curationes admouebat. Norat quippe quantum in eo animorum præſidio ſi ritè, & accuratè tractetur, efficacitatis, ac viriũ inſit. Norat hanc vnam omnium, & præſtantiſſimam eſſe Medicinam ad perdenda, & euellenda vitia radicitus. Et extant eius de ea ritè admouenda Cornelio Vishauæo tradita præcepta ſaluberrima: &, ſi tempora illa non tam limatæ ſanctitatis ſpectes, haud in vulgari ſita prudentia: ceterum limatioribus hiſce temporibus, cum alij alia ea de re non minus piè, quàm doctè, prudenterque conſcripſerint, vulgaria forſitan, & iam vſu contrita. Ex quibus tamen paucula delibare non pigebit, quæ vſum eius oſtendant & gratiora fiant tanti autoritate Viri, atque iudicio. Fuerit ex vſu inquit, confirmare pœnitentes,

Vitioſorũ curandorũ ratio.

Tradita Cornelio Vishauæo præcepta ad homines à vitiis abſtrahendos.

vt quæ maximè eorum onerant conſcientiam, ea primùm expromant: vtque explicatum quodque erit opportunis interrogationibus te iuuante ad neceſſarias conditiones aperiendas, ad aliud item è grauioribus, tum ad aliud, gradus fiet. Vbi autem quæ ſuccurrebant, omnia confitens aperuerit, tum licebit Præceptorum, aut quo alio malueris ordine, ne quid prætereatur, cetera percunctari. Providebis tamen, ne te interrogante, quiſquam vitia, quæ ignorat, ediſcat. Statim vt crimen audieris, ex quo ſatis faciendum cuipiam ſit, vt in re, fama ve reponēda, antequam vltrà progrediaris, ne ſurrepat obliuio, ſatisfactionis ſtatue & iniunge modum. Apprimè neceſſarium eſt interrogari homines de vitæ ſuæ, ſtudiorumque conſilio, ac fine: quorſum viuant, quorſum literas, negotia, aulas ſectētur, quorſum faciant rem, & ſimilia, ne ſcilicet in rei totius ſumma erretur. Traducendus quiſque eſt ad virtutes vitiis quibus irretitur, contrarias: bèneque animatus ſuppeditatis auxiliis dimittendus. Quod ſi id recta via effici nequeat velut in amorib. fœdis, & grauibus inimicitiis, auerte inde, & auoca hominis cogitationem, loquere de morte de beneficiis

ficiis Dei, mone vt gratias agat, Deumque collaudet,quod ei illa,atque illa dona tribuerit. Vbi enim per hæc ad timorem Dei, vel amorem euexeris, per ſe ſe excident, quæ quaſi magna arte tenebat. In remediis prima ſunt frequens Euchariſtia, atque confeſſio apud vnum, eumdemque Sacerdotem. Summo ſtudio curabis,vt ad maiorem virtutem, qui emerſere è cæno lætalium criminum per aſſidua incrementa ducas. Quæ bona quidam faciunt, velut orationes, eleemoſinas inſtituēdi ſunt, vt faciant benè. Docebis itaque orare triplici illa via, per Chriſti Domini myſteria, & capita Chriſtianæ doctrinæ, & litanias:in hiſque tum gratias agere, tum veniam petere, tum neceſſaria dona poſcere ſibi aliiſque viuis, ac mortuis. Interim tamen exiguum ne putes pretium operæ, quem nequeas altiùs attollere, intra præceptorum diuinorum cancellos cohibere. ſuper omnia caue ne tædium capiat te tam ſancto in opere, in quo Chriſtum repræſentas peccatū mundi tollentem.Superciliu quoque deteſtare phariſaicum, qui manſueti Chriſti locū tenes. Erit quidem interdum agēdum duriter, ſed videndum eſt, vt exitus dulcis ſit.Ac fermè niſi forte

cum obſtinato, qui nequaquam abſoluendus ſit, agas: nemo ita dimittēdus, quin libenter ſit rediturus.

CAPVT XXI.

Hæreticorum ſanandorum ratio.

IAm ſanandis Hæreticorum mentibus, & obſtinatis mitigandis ingeniis habebat ſuas itē reconditas, artes quas cum vſus eſſet, vtiliter, & fructuosè proferret. In primis vrebatur dolore, voluens animo calamitatem, ac peſtem animarum immanem, quæ ex errorum tartareis hisce venenis latiſſimè graſſabatur. Reputabat quæ inferrentur damna animis ſeſe purgantibus, quorum ſuffragia impugnarentur: quot, quantaque ſacrilegia ſuſciperentur ſacrarum contemptu rerum, contra quas bella impia gerebantur: quantam per contumeliam Eccleſiæ Antiſtitum protereretur autoritas: quam ferax illud odioſum, rixarum, maledictorum inter populos inter ciues, inter domeſticos ſeminarium eſſet: quam ingens porta licentiæ imprudentiæque agendi, & dicendi, quicquid libido ſuggereret, panderetur. Quæ & alia aſſiduè ſecum reputās, opis ferendæ ardens ſtudio, incitabatur

ad

ad labores, confirmabatur ad conſtantiam exacuebatur ad induſtriam. Incidi ego in eius præcepta quædam de agendi ratione cum hoc hominum genere, quæ rogatu Lainij occupata Faber opera, & curſim edidit: quibus tamen nihil in eam ſententiam videtur ſcribi potuiſſe prudentius. Ea continentur epiſtola quadam ad Lainium ipſum, cuius exemplar ex hiſpano, quàm fideliſſimè redditũ, huc adſcribam.

Gratia & pax Redemptoris noſtri ſit ſemper in cordibus noſtris.

Quod a me ſæpius per literas poſtulaſti, vt vias aliquas iis traderem, qui velint inter Hæreticos alienæ prodeſſe ſaluti, nec ſuæ tamen obeſſe, iuſtis ego de cauſis necdum reſpondi: tum quia nondum ſatis ad cogitandum ſpatij datum eſt, tum quia à rebus domeſticis nulla quies: accedit etiam, quod ex imbecillitate præterita minus adhuc eſt firma manus, vt ea ad ſcribendum commodè vti queam: &, quod caput eſt, nihil in mentem venit, quod ad rem faciat. Scribam igitur ea duntaxat, quæ ſuccurrunt extempore. Ac primum quidem iis, qui prodeſſe velint huius ætatis hæreticis, videndum, eſt, vt magna aduerſus eos charitate præſtent,

Epiſtola Fabri ad Lainium de modo agendi cũ Hæreticis

præſtent, eoſque verè diligant, pulſis ex animo cogitationibus illis, quæ quoquo modo illorum apud nos exiſtimationem imminuant. Proximum eſt, vt eorum nobis adiungamus animos, voluntateſque captemus, ſic vt ij viciſſim nos ament, & de nobis optimè ſentiant: id autem facilè conſequemur, ſi eos comiter alloquamur, & in familiari ſermone de iis rebus duntaxat agamus, de quibus inter vtroſque conueniat, omni altercatione ſublata, vbi pars videlicet altera alteram videatur abiicere, vel deprimere. Agendum quippe iis de rebus eſt prius, quæ voluntates conglutinent, atque coniungant, quam de iis, vbi ſententiarum inter ſe pugnantium diſſimilitudo naſcatur. Quoniam autem hæc Lutheranorum ſecta filiorum eſt ſubtractionis in perditionem, & prius in eis rectè agendi pietas, quam recta fides extinguitur, faciendus eſt gradus ab iis, quæ pertinent ad rectè ſentiendum ſecundum affectum ad ea, quæ faciunt ad rectè credendum: ſecus vtique ac olim in Eccleſiæ naſcentis exordio, cum primum homines conuertebantur ad fidem. Quo ſanè tempore fide primum, quæ eſt ex auditu, mentes erant imbuendæ mortalium, & ab erroribus

Cōcilianda volūtates.

Incipienda conuerſio hæreticorū à correctione morū.

roribus reuocandæ, deinde ſenſim deducendæ ad rectè ſentiendum de moribus, operibuſque ſuſceptæ fidei conſentaneis. Si quem igitur ſuſcipiamus curãdum, qui non modo prauitatis erroribus, verumetiam perditis moribus ſit imbutus, omni inſinuatione vtendum erit, vt eum auocemus à vitiis, priuſquam verbum vllum de prauis eius opinionibus faciamus. Ac mihi quidem vſu venit aliquando, vt ad me Sacerdos accederet rogans, atque obſecrans, vt ſuas opiniones de Sacerdotum cõiugio ſanè falſas, ſi qua eſſet, ratione conuellerem. Ego verò cùm familiariter in eius me ſermonem inſinuaſſem, dediſſemque; ille mihi ſe totum aperuit. Deprehendi eum vitam agere in morte peccati multos iam annos meretriciis amoribus irretitum: perfeci tamen diſputationis pugna remota, vt vita priore damnata ad frugem ſua voluntate rediret. Is ſimul à peccando diſceſſit, Deoque adiuuante, muliercula tandem caruit, continuò ſua ſponte nulla illata Catholicæ doctrinæ mentione, conciderunt errores omnes, vt qui ex inquinatæ illius vitæ ſordibus & ortum habuerant, & progreſſus. Quoniam autem in ceteris Luteranorum erroribus is eſt ferme com

Vt à bonis operibus progrediendum ad fidem.

mè cõmunis, vt humanas actiones, ac facta ſuis meritis ſpolient, contemptisque rectè factis omnia in fide reponant; id circo faciendum nobis eſt, vt in eorum congreſſibus, atque Colloquiis ab operibus, ac rectè factis progrediamur ad fidem, iis perpetuo ſermonibus inferendis, quibus eorum ad amorem ac ſtudium excitentur. Vt, cum negat hæreticus Eccleſiæ licere propoſita capitalis pecati pœna quēquam alligare pſalmodiæ, vel liturgiæ; tum iſti adhibenda eſt cohortatio peracris, qua cũ ad orationis, ac Miſſæ, tum ad alia huiuſmodi incitetur officia: quoniam iſte ab audiendi ritè ſacri, pſallendive pietate certis, ſtatutiſque temporibus priùs excidit, quam à fide. Obſeruãdum eſt autem ſanè diligenter id, in quo Lutheranorum Duces Miniſtrique niti ſolent, cum aduerſus Eccleſiæ præcepta ſanctioneſque ſanctorum Patrum ſuos tuentur errores: id autem eſt nimia imbecillitas virium ad obtemperandum, ac tolerandum aliquid propter Deum: ita vt eis Eccleſiæ leges, atque præcepta ſupra vires, minimẽque ferenda videantur. Quocirca ad iſtos erigendos, & animãdos plena ſpiritu cohortatione opus eſt, vt in ſpem redeant, & cõfidere

fidere incipiant, fore vt &ipſi queant non modo quicquid imperatur, verum etiam longè maiora, Deo adiuuante, præſtare. Atque hic ego ſic exiſtimo, ſi qui efficacitate doctrinæ, aut ardore ſpiritus perſuadere Luthero poſſet, vt excuſſis ex animo prauis ſuis opinionibus, & recepto religionis ornatu ſe ſe alacri quadam parendi voluntate ad ea, quę imperantur explenda, & facienda conuerteret, forè vt eo ipſo nulla adhibita cōcertatione hęreticus eſſe defineret. Quanquam iſtuc quidem maiorem quandam vim ſpiritus, copiamque deſiderat: & multo igne diuino opus eſſet, vt ad hanc ille ſubmiſſionem animi, ac tolerantiam, conſimileſque virtutes, quas tanta hominis mutatio poſtulat, perueniret. Quod quoniam ſine præcipua quadam Dei ope, perditis in hominibus, & iam prorſus euerſis fieri nullo pacto poteſt, idcirco perexigua ſpes eſt ac penè nulla reducendi id hæreticorum genus ad ſanam mentem. Quiſquis autem nullis aliis ſermonibus, atque colloquiis niſi de inſtituenda rectè vita de virtutum pulchritudine, de orationis ſtudio, de ſupremo vitæ die, de æternitate gehennæ, deque aliis huiuſmodi rebus, quæ

Magis proficia cum hæreticis acri ſermone de rebus moralibus, quā ſubtili diſputatione.

quæ vel ad emendandam ethnicorum vitam pertinent, cum hæreticis cõgrederetur, ne ille multo magis eorum animis ac ſaluti conſuleret, quàm ſi eos authoritatum vi, & rationum copia conaretur obruere. Denique ſummatim vt dicam, id hominum genus cohortationibus, & opportunis monitis eget ad componẽdos mores ſuos, & ad ſuſcipiendum metum pariter, & amorem Dei, amoremque benefactorum, vt hac veluti medicina ſuis illi imbecillitatibus medeantur: faſtidioq; rerum diuinarum, & euagationibus mentis innumeris, quibus inter cætera mala, morboſque laborant: quæ non continuò mentis apicem, intelligentiamque, ſed prius pedes, manuſque cum animi, tum corporis petũt. Ieſus Chriſtus redemptor vniuerſorum diuino ſuo ſpiritu eorum feriat, leniatque præcordia, qui videt verbũ ſuum in chartis ſcriptum nequaquam eſſe ad permouendas hominum mentes ſatis. Non dilatabo orationem meam. Tantum rogabo, animum vt ſpectes meum obſequendi cupidum optimo tuæ mẽtis ſtudio, quo adductus hoc me rogaſti. Cum plus otij nactus ero, plura forſitan in hanc ſententiam. Quamquam haud ſcio, an huc

huc etiam reuocari poſſint omnia.

His prudentiæ præſidiis & ſi Germaniam Faber pro derelicta, ac propè depoſita iam habebat, eam tamen vt curaret, recrearetque plurimùm laborabat:& ſanè per eum vel maximè ſtetit, vt ſuprà demõſtrauimus, quo minus religio iam Coloniæ nutans collaberetur. Eodemque impulſore, & auctore Viri principes excitabantur ad Spem totius reſtituendæ Germaniꝗ:quàm cum in Luſitaniam migraturus Ignatij iuſſu relinqueret, quanto cum illius incommodo, damnoque reliquerit grauiſſimis ad eundem Ignatium literis teſtatus eſt Iaius. Coniiciebat acutiſſimè morborum naturas ad eam curandam, iuuandamque Nationem:& hæreticorum tenebat artes, atque fallacias, aperiebat fraudes, redarguebat inſidias. Obſeruabat eos, qui ab Eccleſia deſciſcunt, conſueuiſſe primum in iis officiis, muneribuſque torpere, quæ ſunt ſecundum gratias Dei, & differentes eius donationes, ac proinde paruipendere, in minimiſque ducere quicquid non ſuo ipſi iudicio, ductuque repererint. Ita fieri vt ſuæ fidei, ſuæque ſpei rationes, cauſaſque requirant, omnia in dubium, incertumq; reuocãtes, iſtoque mo-

Quibus gradibus in Hæreſim homines ruant.

do effundant quicquid in eis à Spiritu ſancto infuſum eſt muneris;atque doni, & Veram fidem,quæ fide Catholica, & ſanctorũ Patrum auctoritate nitebatur, abijciant. Quibus Dei donis effuſis, tum demum ſuum quemque dogma procudere, & ex ſuo ſenſu, iudicióque ſibi fidem fingere:cõquirere enim per ſeipſos rationes, atque argumenta complura: eaque item per ſe diſcutere, atque expendere:ſcrutari curioſè locos diuinorum codicum, & eorum enudare ſententias,vt propriam, priuatamque fidem,hoc eſt omnem errorum prauitatem, fæcemque colligant. Eodem modo vbi quempiam ad ſua dogmata, opinioneſque pellicerent, ante omnia dare operam,vt eum diuino fidei lumine,ac donis cæleſtibus ſpolient. Quippe ab eo tãquam principium, & fundamẽtum hoc primùm aſtutè poſcere, vt omnem animi affectum, perturbationemque (ſic enim impij interpretantur Catholicæ fidei conſtantiam) tantiſper exuat, & ſe quadam in æquitate conſtituat. Quid eſt autem affectum animi ad eorum normam, regulamque deponere niſi fidem Catholicam ponere,atque abiicere? ſimplicitatem exuere,deſerere humilitatem deditę,captiuæq́;

Fallacia, quibus Heretici ſimplices in fraudem inducunt.

iam

iam mentis in obſequiũ ſanctæ fidei? Qua ex captiuitate ſimul ac iſti quẽpiã abduxerint, tum ab eo inſuper petunt, vt ex ſacris literis oraculiſque, & inuẽtis (quamuis hebes, & imperitus ſit) ab ſe ſe rationibus, fidẽ quærat, nullo adhibito iudice præter ſe. Vbi verò in eum iam locũ quiſpiam venit, vt veram Catholicamque fidem perdere, vel perdidiſſe ſe ſentiat, tum ſuadent etiam atque etiam (ad maiorem ſcilicet Dei, quẽ tentãt, iniuriã, & ſuas fraudes ſpecioſius obtegẽdas) fidem à Deo poſcat, & vim rectè iudicãdi de diuinis oraculis, expendendiq́; ſapienter pondera, ac momẽta rationum: cum fides ſit munus Dei, nec omnibus impertiatur. Atq; in hunc modũ miſeri iſti falluntur, & fallunt. Errantes vt Paulus ait, & in errorem mittẽtes. Quamquam autem in pertractãdis hæreticorum mẽtibus leniſſimus Faber erat, & tanta in eos charitate quãtam ſupra meminimus, tenebatur; tamen, vt olim B. Antonius, & eos & eorũ omnia ſic abhorrenda piis, Catholiciſq́; cenſebat, vt ne tum quidem audiendos eſſe diceret, cũ recta præciperent: negaretq́; diuinæ ſatis Maieſtati gratũ, vt eorũ ad nutũ, voluntatemq́; vel inſtitueretur aliquid in Eccleſia boni, vel meliorẽ *2. Tim. 3.*

ad formam reuocaretur. Vt enim multa vera interdum dæmones, non tamen veritatis ex ſpiritu confitentur, ſic illos, & ſi multa interdum bona & ſalutaria præcipiant: ea tamen, quoniam non bono præcipiuntur ſpiritu, minimè grata, & accepta eſſe Deo. Hæc erat Fabro agendi ratio cum hæreticis, atq; hæc ad eos noſcendos atque ſanandos præcepta tradebat.

CAPVT XXII.

Agendi ratio cum iis, qui emerſiſſent è vitiis.

Prouehebat idoneos ad perfectionem.

QVi verò timorem Domini iam edocti, pietatis ſtudiis, & rectè factis inſiſterent, ij non modò, vt in ſuſceptis vitæ rationibus permanerent, verùm etiam vt & ipſi meliores euaderent, & aliis eſſent ad Salutem Duces elaborabat. *l. 1. c. 15.* Hos præparabat ad maiora, hos ad Euangelicam perfectionem excolebat. Cuius vis tanta erat, vt interdum ad Dei famulatum vel cunctantes, ac tergiuerſantes, quemadmodum in Maximiliano Capella ſupra demonſtratum eſt, *l. 1. c. 18.* verbo duntaxat impelleret: aliique ad eum in Societate ſequendũ, vt Ioannes Nunnius, nocturnis incitati ſint viſis. Quo autem facilius, qui ſemel cœperant è virtute vitam fingere, ad percætus

fectionem vocaret officij, ſodalitates,ac cœtus excitabat, quos ſuis muniebat legibus ad diuturnitatem pariter, & diſciplinam: vt ſuprà de ſodalitate illa Parmenſi narrauimus. Quæ verò neceſſaria cuique putaret ad vitam rectè inſtituẽdam, quinque complectebatur hiſce capitibus. Antè omnia recogitandos in amaritudine animæ cunctos exactæ ætatis annos, expiandoſque generali confeſſione apud peritum,prudentemque Sacerdotem. Quod quo melius fiet,eò plus conducet ad nouę vitæ rationem, vt vinum nouum mittatur in vtres nouos. Deinde ſingulis diebus veſperi, ante quietem ſaltem dimidiatam horam conſcientiæ recognoſcendæ tribuendam vbi non modo diei commiſſa,ac prætermiſſa inquiras, teque coram Deo tuo reprehendas:& emendationem in diẽ inſequentem proponas, ſed etiam deſiderium excites ad progreſſum in calle iuſtitiæ,nouas aſſumendo,vel interiores pietatis,vel exteriores exercitationes:aut,ſi tam multæ ſuſceptæ ſint, vt multiplicari minimè oporteat, in vſitatis obeundis inſtaurando ſpiritum,&augendo. Sub hæc componi negotia, ac digeri poterunt, quæ poſtridiè ſiue diuina, ſiue humana ſis tracta-

Cõdebat ſodalitates.

Poſt confeſſionem generalẽ docebat examen conſcientiæ.

Et vſum frequentem ſacramentorum.

turus. Tertio loco ſtatuendum dicebat tempus, quo ſacroſanctum Altaris ſacramentũ repeteretur: quod ipſe octauo fermè quoq; die faciẽdum putabat. Simulq́; habenda in libello diſcripta tum cõmunia Dei, atq; Eccleſiæ præcepta: tum quæ ad quemq; pro ſui officij ratione pertineãt: ſingulíſq́; diebus ea omnia perlegenda. Ad hæc quotidie certa aliqua pietatis obeunda munera, ſiue ad corpus, ſiue ad animũ ſpectantia: ſuumq́; impendendum orationi ſpatium, quę per Chriſti myſteria, & litaniarum ſeriem fiat. Extremum caput erat inæſtimabilis momenti. Figenda animo, & habenda ante oculos, & quaſi ſemper ad manum decreta quædam philoſophiæ Euangelicæ, ex quibus conſilia, & actiones cunctæ regantur, vt enitendum cuique ad ſui victoriam, conſeruandã nouiſſimorũ memoriã: tollendam quotidiè crucẽ: eſuriendam, ſitiendamq́; iuſtitiam, id eſt, excitandam virtutis auiditatem. Gaudendum cùm variæ in nos tentationes inciderint. Retro numquam reſpiciendum, & alia modi eiuſdem. Inituris autem cætum aliquem, Societatemq́; præcipiebat, vt primum illum initiorum ſpiritum, bonamque opinionem, quàm de ſingulis Sodalibus

Habenda in promptu decreta, & axiomata Euangelica.

Præcepta ineuntib. Sodalitatem quãpiam.

Sodalibus animo imbibiſſent, omni ope, ſtudioque retinerent. Quod ſi quando ita accideret, vt vel hanc, vel illum amitterent, nunquam conquieſcerent, quoad ea recuperarent: perſuaſumque penitus haberent, vitio ſuo fieri, quominus bene ſentire de vnoquoque pergerent: Eoſdem enim Sodales eſſe, & fortaſſe meliores, quos in eo cœtu reperiſſent initio; ſe autem potiùs cõmutatos, & deteriores effectos. Eademque ratione ſi quem forte næuum, culpamque grauiorem in eorum quopiam animaduerterent, non idcirco voluntatem illam, quam erga eum habebant, abiicerent: nec in animum amari aliquid, vel perturbationis admitterẽt, quod fraternæ charitati, & tranquillitati mentis officeret. Cauerentque ne quem non modo lingua, ſed ne mente quidem temere iudicarent, memores illius Chriſti vocis, Homo quis me conſtituit iudicem inter vos? ſe ſeque identidem ſic admonerent. Quid tu vitam iudicas alienam, cum Præpoſitorum iſtuc ſit, non tuum? Tuum autem non niſi tuorum eſſe iudicem delictorum: quibus iudicandis ne tu ſatis habebis negotij, ſi nihil tibi indulgere, nihil

volueris aſſentari: Senecęque vocem illam propoſitam ſemper habueris, Aliis parce, tibi nunquam.

CAPVT XXIII.

Cum imperfectiorib. quã agẽdi ratione vteretur.

RESTAT iam illud quartum, qua ſignificatione prudentiæ ſe gereret aduerſus eos, qui religioſæ vitæ meditarentur exordium. Atque vt de Societate propriè loquar, quàm peregrè verſanti commendarat Ignatius; quotquot in eam cooptabat, & multo adſcribebat, delectu, & inter initia quam primum, tum videlicet, cum calebant, ad ſuſceptæ vitæ rationes inſtituebat. Ignatium in Fabro aſpiceres, cum tyrones inſtituendi, tentandique artes animaduerteres. Omnia autem tentationum genera ad effingendam in iis præſtantis cuiuſdam obedientiæ formam referebantur. Norat enim & iam perſuaſum penitus habebat, fruſtra omnem laborem ſuſcipi, nec ex Societatis ſpiritu fingi mores, niſi in obedientia diu, multumque elaboratum eſſet. Huc igitur pedeſtrium itinerum, huc longæ peregrinationis incommoda, vt in Ioanne Aragonio, & Aluaro Alfonſo ſupra demonſtrauimus, huc

In formã dis Tyronibus præcipuè ad obediẽtiã perficiendam ſpectabat.

Noſoco

Noſocomiorum Nauſeæ,pedoreſque,huc intempeſtiua & inopinata reprehenſio reuocabantur: vt, quo duriora nouiſſimus quiſque perpeti conſueſceret, eo firmiora religioſæ obedientiæ fundamenta ſtatueret. Louanij quidē Cornelij Vishauæi qui illuſtrior,totaque vrbe nobilior pietas virtuſque iam erat, eò illam Faber pluribus tentandam experimentis & priuatis putauit,& publicis. Cùm in ipſiuſmet Cornelij diuerſaretur ædibus, exercebat eum per Stradam lōgè ætate poſteriorem,nec dum ſacris initiatum, & adiungebat concionaturo pediſſequum Sacerdotem, vt clepſydra in manus ſumpta de ſuggeſti gradibus coram populo dicendi ſpatia metiretur, Sæpe etiam hominem increpabat iure,iniuria:Sæpe domeſticorum in auribus,oculiſque, quo maiore illum rubore perfunderet,accuſabat. Quibus in tentationibus quanto erat ille ſedatior,tanto hic in periclitando conſtantior. Diuerterant apud Cornelium Negotiatores honeſti Fabri cauſa;quos cum Cornelius conuiuio exciperet,& vna omnes accumberent, vnus ipſe non accumbebat:quod demiratus ex hoſpitibus quidam,percunctari cum ceteris cœpit,cur non accumberet herus. Cui

Corneliū Vishauaū quàm ſeuerè exercuerit.

Faber, ſinamus inquit, menſæ miniſtret, hoſpes enim noſter eſt. Alias etiam ad explorandam in omnem partem æquitatem animi eius, atque conſtantiam, mutabat ea, quæ deprimebant, cum iis quæ tollebant animos, & augebant, & probra vertebat in laudes, dedecora in reuerentiam. Interdum verò iubebat eum aliquid exſcribere; quod cum ille, vt poterat, exſcripſiſſet, Faber eo conſciſſo, tanquam male, vitioſeque deſcripto, iubebat eadem iterum, ſæpiuſque deſcribi: & quo plures haberet anſas ad reprehendendum, modo literarum apices inuenuſtos, modo crebras lituras, quæ ſcripturę ſpeciem obtererent, vitio dabat; nunc obliquos linearum ductus, nunc aſperſas papyro macùlas, & atramenti labes vituperabat. Obſeruans interim velut ex inſidiis, non quod ìmpotentis animi verbum ex ore excideret: nūquid ab eo fieret turbulenter, & iracundè. Conſueuerat ſecundum cænam ei præſcribere, quæ poſtridiè ab eo geri vellet: & ad periclitādam accuratiùs obedientiam, plurima ei in eum diem, quæ certo ordine, & ratione digereret, imperabat. Iubebat verbi cauſa, iter aliquod ab eo ſuſcipi, & ſimul viarum numerum & ordinem

nem perturbatiſſimum deſcribebat, quem in eo itinere conficiendo ſeruaret: mandabatque negotium aliquod, & quibus ſimul id verbis gereret, peruerſis ſcilicet, ac præpoſteris, imperabat. Exacto die rationem mandatorum, & præſcripti ſimul ordinis repoſcebat: vtrùm in conficiendis negotiis viciniora prius loca, quam remotiora ſuo arbitratu, an prius ſe in hæc, quam in illa præſcripto ex ordine contuliſſet. Similique ratione, vtrùm hæc & illa verba, quemadmodum à ſe acceperat, eodem ordine reddidiſſet, an commutato ordine ſuum ad arbitrium expoſuiſſet. Pugnantia quoque, & quæ fieri vno eodemque tempore, ab eo nullo modo poſſent, imperare conſueuerat, vt quem afferret diuerſa inter imperia conatum, ad parendum, & obtemperandum ex ipſa animi pugna, atque ancipiti cura perſpiceret. Ita quotidianis hiſce periclitationibus præcipuam in eo Societatis laudem, & explorabat pariter & incitabat. Quanquam hæc non eodem cum quouis tenore, ſed apte pro cuiuſq; vſu gerebat: ſed vt à præſtigiis quibuſdam meridiani Dæmonij Cornelium liberaret, egit cum eo moroſius. Apprimè ſalutaria ſunt reli-

gioſæ vitæ communitatem ineuntibus, quæ Aluaro Alfonſo monita dedit.

Monita Aluaro Alfonſo tradita.

Si vis inquit, in cætu multorum viuere, cum quibus cor vnum animamque vnam & reliqua omnia, æquum eſt habere communia, habeas perſuaſum neceſſe eſt te eius cætus, & corporis membrum eſſe, quod in his, quæ Dei vel Eccleſiæ præceptis non imperantur, vitam, actioneſque non habeat niſi ex corde, animaque cætus eiuſdem. Proinde hoc tanquam fundamentum pone, enitendum tibi eſſe, vt ita componas te, ita alios, vbi opus ſit, vt communis conſenſio ſemper adaugeatur. Quod perinde eſt, ac ſi dicas corpore vti volenti, incolumitati corporis conſulendum. Sed aduerſus ſatanam, qui pacem vt prætioſiſſimam nouit, ita peſſimè odit, & inſectatur, his armare præſidiis Inductio primum animi neceſſaria eſt, qua planè ſtatuas velle ſemper defendere, excuſare, fouere, tui fratris voluntatem, atque ſententiam, contraque premere, & infringere tuam. Deinde quantumuis rationi conſentanea videantur, quæ tu vis, aut loqueris, vbi fratris voluntas, ratione diſſentit, noli contendere. Sique ſuccurrat, à te ſtare rationem; reſponde, fortaſſe à Deo non eſſe, vt

de

de opinione tua benè ſentias, malè de aliena. Item nullam eſſe rationem minuendæ charitatis, & pacis: quam haud dubiè tueri magis, quam tuam debes rationem. Præterea, vbi ad te emendare non pertinet, conuerte oculos ad ea ſolum, quæ ſocij habent laudabilia; in te autem ſolum contraria inſpice. Quod ſi non ſolum tibi, ſed etiam externis videatur quiſpiam fratrum ineptus, imprudens moleſtus, vel inde ſuſpectum habe iudicium tuum quod cum iis conſentiat, qui pleraque mundi oculis intuentur. Denique quicquid abſurdum apparet in fratre, & ab eo ſeiungit, cogita abſurdius eſſe in anima tua iudicium, quo abſurda illa iudicas: ac recordare qui tales ineptias, vel imbecillitates obſeruat, ipſum fieri ineptum, ac nihili: vt contra, qui erigit ad diuina mentem, in iiſque habitat erectus ipſe & excelſus euadit: Offenſiunculas ſtatim elide ex illoque Apoſtolori monitu, ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram: ne quieti te des antequam fratri reconcilieris, eique ipſi ſimpliciter animi tui commotionem aperias. Id eſt colaphũ Cacodæmoni impingere, cui reconciliatio, & demiſſio illa acerrimum dolorem, ac probrum inurit. Iam verò ad ceteram

ram diſciplinæ cuſtodiam, quemadmodũ te habeas primũ tecum dein cum ſuperioribus,& paribus,& inferioribus, & externis breuiter accipe. Primũ perſuaſum habeto, in perpetua tibi pugna verſandum cõtra procliuitates carnis tuæ, & ſenſuum externorum; contraque prudentiam propriam tuam, & memoriam, & voluntatem. Propria hæc voco, cum è tuo ſpiritu, nõ alieno, ideſt Dei, & communitatis exiſtunt. In perpetuo igitur perſeuera conflictu, ad victoriam enitens tui, conculcans te, abiectéque & contemptim accipiens, & includens te intra te, & tranſiliens te, & erigens ſuprà te: Cùm ſuperioribus ſic ages, vt ſemper in tui demiſſione, & illorum veneratione proficias. Æqualibus tuum præbe dexterum latus, & ab eorum nunquam ſiniſtro recede: hoc & tua cum illis læta ex æquo partire, in duris verò eorum, & aſperis, vel potio rem partem aſſume. Si quibus prçponeris, memento eorum rationem tibi eſſe reddendam; & hoc ſtude, vt patientia antecellas, & auctoritate, quæ ex ſapientia tua vera, & virtute naſcatur. In iuuandis proximis, id ſpecta potius, vt elabores, quam vt tuorum videas fructum laborum. Tuũm eſt colere, ſerere,

rigare,

rigare, cetera Chriſto permitte, vt fructus quos, & quando velit decerpat: tum ſolum angare, ſi quando labori peperceris. Alium quendam, qui magno cum doctrinæ nomine ad Societatē acceſſerat, his ad profectum erudit, & adhortatur. Age in Chriſto, cariſſimè, pergas confortari in eo, quod tam feliciter cœpiſſe diceris. Hactenus ipſum incipere propoſitum tibi ac deſtinatum erat: Poſthac in finem laborum oculus intendendus erit. Quandiu non incæperas, fruſtra quis te perſeuerandi labore terruiſſet: & vana nunc ſpe lactareris, ſi quis coronam tuis quamuis optimis deberi cœptis diceret: quæ niſi in fine nulli vnquam data eſt. Finis autem, & perfectum in quodam ſignificatu idem ſunt. Profice igitur ad perfectum in omnibus. Si quid iam reliquiſti, perfecte relinquito: ſi cui rei oculos claudere cœpiſti, vel aures, aut quempiam aliorum ſenſuum, perfecte claudito, numquam poſtea rebus eiuſmodi aperturus. Si qua in re te ſubmiſiſti, ſubmitte in omnibus Patientia quoque perducatur ad opus perfectum, vt dilateris in Domino non ſolum à dextris, ſed & à ſiniſtris. Nec ſolùm modis dilateris omnibus, ſed pariter

Monita docto homini Societatis Tyroni tradita.

ter

ter extendaris in omnem partem ſanctæ acquiſitionis diuitiarum ſpiritualium. Paulus, quæ retro ſunt ob liuiſcens, adea ſola, quæ priora ſunt, ſe videtur extendere. Nos qui nondum quicquam perfecte incœpimus, debemus quadam ratione etiam ad ea, quæ retro ſunt extendi, vt ex omni parte perficiatur opus noſtrum. Acquirenda enim nobis eſt illa ipſa, quæ dicitur compunctio, atque deteſtatio eorum, quæ retro ſunt. Creſcendum eſt in peccati, inanitatiſque rerum mortalium, ac demum noſtri cognitione, vnde ſuo tẽpore naſcatur rerum ſpiritualium, & cæleſtium conſpectus, pretium, atque comprehẽſio, ſtudium virtutum, & Dei amor. Hos quidem te inter fratres infima quærere, & vltima atque minima conſectari libentiſſimè audimus. Nam magnitudo humanæ mentis non in eo eſt, vt magna ex ſuo ſenſu amet, atque amplectatur, magna, inquam, huius mundi, ſed vt ad minima ſe ſe extendat. Amor crucis, ac vilitatis, ſpiritum hominis fortem oſtendit, non autem amor potentiæ, aut magnitudinis. Perge itaque exerceri in minimis, vt maxima æternæ vitæ promerearis. Non ignoras apud Arithmeticos notam, quæ

Cyfra

Cyfra dicitur, nihil per ſe valere, verùm ſubiunctam numeris, incrementum iis tãto maius afferre, quanto poſt plures ponatur. Quidni ergo nos omnes gaudeamus, qui nouimus te, qui numero noſtro acceſſiſti, de vilibus vitæ huius tuum colligere pretiũ, ac valorem? Ama minimo nomine appellari ab omnibus, ſi nomen bonũ velis tibi comparare. Sta in vltimo loco quandiu poteris. Sectare viliſſima, & abiectiſſima officia: ex his enim gradum optimum in Chriſto Crucifixo tibi acquiſieris; Chriſtus Dominus qui factus eſt obediens vſque ad mortem Crucis, humiliatus primum vſque ad carnem eſt, quam ſibi coniunxit. Vtinam nos quoque ſic deſcendamus, vt viliſſima quæque huius vitæ miniſteria copulemus nobis ad fouendam eam, cui nos deuouimus humilitatem. Vtinam ſimul obediamus Præſidibus noſtris vſque ad mortem crucis. Hoc fortaſſe fiet, ſi exularit de finibus noſtris, vt verbis tuis vtar, Tuum, & Meum: & non hæc ſolũ; ſed ſi inſuper exulauerimus Ego, & Tu. Et Ieſus Chriſtus Creator, ac Redemptor noſter apud nos, & in nobis, & per nos in ceteris regnet, qui regnat in ſemetipſo cũ Patre, & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorũ

CAPVT XXIIII.

Scholaſticos Societatis quales expeteret & quales operarios.

HIs Faber tyrones monitis informabat. Vbi autem Societate dignam cuiuſque virtutem idoneis comperiſſet indiciis,tum remiſſis aliquantulum, nunquam tamē intermiſſis ſuperioribus exercitationibus totos neruos,atque vigilias in literarum ſtudio iubebat intendi; intelligebat enim quanti ad Ordinis eius referret exiſtimationem, ac bonum, qui ſe totum animorum commodis dedicaſſet, vt medios inter homines ſingulari eruditione floreret. Proinde Aluarum & Caniſium quod literarum ſtudio neglecto, totos ſeſe in leuandos pauperes, & officia charitatis effunderent merito per literas reprehendit.Non mihi,inquit, admodum probatur,quòd ſtudiis veſtris omiſſis, vos totos detis operibus charitatis. Res quidem ſancta eſt, quòd pauperes excipiatis hoſpitio,ſed danda vobis eſt opera, vt aliquos habeatis, quos tali miniſterio ſubſtituatis.Ea de cauſa Franciſco Stradę,quem Louanij Philoſophiæ inter ſtudia conciones habere iuſſerat, ne qua ſtudiorum

Volebat omni ope in ſtudia incūbere.

ſuorum

ſuorum in comparanda rerum, ac ſententiarum ſylua iacturam faceret, ipſemet ea, quæ pro concione diceret, ſuggerebat. Et Oliuerium Manaræum in mediis itē Philoſophiæ ſpatiis, ſtadioque verſantem, ne quid eius ſtudiis ea officeret interpellatio, recipere intra domeſticos parietes priùs noluit, quàm vniuerſæ Philoſophiæ curriculum cōfeciſſet. Quocūque habebat iter, diſcendi ardorē in ſuis fratribus incitabat, acriter ſimul adhortans vt ſuis in ſtudiis rectam mentem gererent, & gratiā ſancti Spiritus idemtidem implorarēt. Quæ duo iis, qui verſabantur de Societate Lutetiæ adeò per literas commendabat, vt deeſſe mihi non poſſim, quominus literarum eius particulam, quæ ad manus peruenerunt, hic attexam. Sic enim ſcribit.

Literarū pars ad Socios, qui Pariſiis ſtudebant.

Largiatur Chriſtus Ieſus vberem vobis gratiam, vt quo ſpectatis recto curſu, " velut arcu mentis ſemper intento ſtudia " veſtra referatis, & gaudere quaſi quodam " triūpho poſſitis, quem ad extremū deportabitis, ſi cùm ſciētiæ Spiritu, ſanctè quoq; " ſentiendi Spiritum cōiunxeritis. Quæ quidē expectatio deſiderij mei, totiuſq; Societatis tum demū explebitur, Chriſto duce, " cum ſummus ille Magiſter, qui literarum "

diſciplinas, poſtremus infundit, perpetuus vobis quaſi quidam præfectus affuerit, magiſtrorum dictata reddentibus Is eſt Spiritus ſanctus: quo doctore, atque magiſtro quicquid tenetur, ac ſcitur, optimè ſcitur: ſine quo quiſquis aliquid ſcire ſe putat, nondum nouit quemadmodum eum ſcire oporteat: Vt ipſa quoque Chriſti Ieſu præſtantiſſimi Magiſtri verba, eius ore prolata, tanti Doctoris opera quo melius recolantur, & memoria repetantur, indigeant. Quid enim ille dixit diſcipulis ſuis? Spiritus, inquit, ſanctus ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Nec modo ſuggeret dixit, ſed priùs docebit, vt Magiſteriũ ſancti Spiritus indicaret, cuius munus eſt hominibus quęcumque ille dixerit non modo ſuggerere, verùmetiam explanatiùs, vberiuſque docere. Ergo ſi Chriſtus Magiſter noſter, via, veritas, & vita noſtra, ſuo vti ſpiritu, non modo ad ſenſum voluntatis ac cordis, verùmetiam ad ſcientiam mentis, & intelligentiæ nos voluit, quanto magis in percipiendis ab homine diſciplinis neceſſarius eius putandus eſt vſus? Notum vobis B. Thomæ Aquinatis exemplum eſt, qui conſueuerat ſecũ ipſe non modò, quæ à Doctorib. audiſſet

diſſet adhibita precatione recolere, verũ etiam quæ nõdum ab iis acceperat coram hoc cæleſti Doctore priùs mente,ac cogitatione verſare. Ergo & vos etiã atq; etiã monitos velim vt ſcholas à Doctorib. explicandas tãto & ipſi cum Magiſtro priùs animo percurratis: dein ab ijs explicatas coram eodem perfecto reddatis, & memoria repetatis. Sanè vobis in Domino gratulor,quod hac re longè nobis antecellitis, mihi, inquam,& ſimilibus mei: quoniam priùs quàm ad literarum ſtudium vos tradatis propoſitum iam habetis, quo curſum ſtudij veſtri tanquam rectis lineis dirigere vos oporteat.Quare cum & principium, vnde omnis ſapientia manat, & curſum rectiſſimum teneatis, haud ignotus vobis eſſe poterit veſtrorum exitus ſtudiorum.Licebit igitur non modo tum, cum finis ſtudiorum erit impoſitus,verum etiam in ipſo ſtudiorum curſu, vt feciſtis in ingreſſu,animo eſſe quieto, atque tranquillo, cuius tanti boni fons,ipſa videlicet eſt recta mentis intentio quoniam ad eum recta contenditis, qui vita eſt; & in quo tandem eſt vera quies.Quando autem recta ingredi via, quæ Chriſtus eſt,iam cœpiſtis,neceſſe eſt,vt in ea quoque tenenda

Scholaſticorum religioſorum felicitas, ex recto principio, & fine.

acquieſcatis; ſuſcipiendis videlicet ſtudiorum laboribus in eodē Mediatore noſtro Chriſto, qui idem & via, & veritas eſt, quæ à Patre exiuit, & ad Patrē rectiſſimis quodammodo lineis, curſuq; rediit. Eſt igitur, fratres mei, quod & à vobis Deo grates agantur, nec minores exigantur à nobis: quanquā vt dicere inſtituerā defuit nobis talis, ac tāta componēdi, ordinandiq; ſtudij noſtri facultas. Quippe exiſtimabamus nos, in literis ſitū eſſe, vt ex nobis ſatis, ſuperq; ſuum & principiū, & finē oſtēderent cumq; ignoraremus eum, qui & verè principium, vt benè ponerentur initia, & verè finis eſt, vt in eo velut anchora cōſiliorum noſtrorum, atque mētium iactata conſiſteret; fieri non poterat, quin perturbato ordine, & ſine pace animi progrederemur. Itaque neſciebamus vti bono literarum, & bonum quòd illæ docent, arripere, perturbatione finis, atque viarum: dum vias pro fine viciſſimque finem pro viis adhibebamus.

Hæc ad Socios Pariſienſes Faber. Idem ſolebat dicere, nemini debere videri moleſtū Dei cauſa deſcendere ad ediſcēdum latinā linguam, & ſpinoſiores alias diſciplinas. Nam Chriſtus ad linguam quoque

mater

maternam ediſcēdam, notitia vtriq;.quam experimenti vocant, deſcendit:Neque eo ſolùm,ſed etiam ad infantilis corporis imbecillitatē:vt paulatim augeſcerent pedes, manus,& cetera corporis mēbra.Quod ſi rectè conſideretur etiam in nobis magnū videri poſſit, quanto igitur maius in Deo.

Æſtimabat per magni confeſſionum audiendarum ſtrenuam ſolertemque patientiam:auebatque, vt ſupra dixi, vigere in ſociis ſtudium illud humilitatis,& charitatis, vt vellent haberi, & eſſe in Domo Domini vice ſcoparū. Exiſtimabat autem confeſſario enitendum non modo,vt eos, qui ſe illi permittunt regendos,magis,magiſque ſemper ad ſanctitatē proueħat, ſed per eos pariter quàmplurimos iuuet.Inſtituēdos enim eſſe,vt animab. quę poſt hāc vitam purgantur, ſuccurrant:vt ſceleratos conentur ad bonam reuocare frugem, vt opera pietatis tum quæ ad corpus, tū quæ ad animum ſpectant,exerceant. Itaq; animaduerterent quantam ſibi facultatem Deus offerret benignè multis faciendi, dum tam prōptas,ac diuites pœnitentium ſubiicit voluntates : ſapienterque velut boni diſpenſatores multiformis gratiæ

Quid requireret ex confeſſariis Faber.

Dei, quod cuiq; aptum ſit ſtudentes, operam ſuam, & charitatem per alienas quoq; manus lōgè, lateq; ſpargerent. Et ſane prçclarũ eſt operæ cōpēdium, quod mirificè in Fabro eluxit, quos habeas diſcipulos, formare magiſtros; Et vt quemque ad Deũ vocaueris, amore incendere alios eodem trahendi, vt glorioſa cathena fiat, tanquam vi Magnetis imbuti annuli, & ſequuntur, & trahunt. Omnibus qui ſe dediderunt Euangeliſandi muneri, & animos quocumque modo ſanandi, metuendum aiebat, ac prouidendum, ne qua per ipſorum periret incuriam. Namque Dei patientiam multis impiorum vſuram vitæ ad id reſeruare, vt expectet num quis eorum, qui animarum prouinciam ſuſcepere, illos conueniat, & curare nitatur. Itaque geſtiebat animo ad felices nũtios rerum, quas B. Xauerius, aliique ſocij gerebant in India: magnopere cupiens Societatem in omnes tandem infidelium terras, & maximè in Africam penetrare. Amabat ſuauiſſimè nouellam hanc Chriſti Ieſu cohortem, titulumque Ieſu nominis, quo tegitur, & ornatur, plurimi faciebat. Aſſiduis pro ea votis, ac precibus, frequentibus, ſacrificiis excubabat. Per ſanctiſſima quæ

Quid cenſeret metuendum Euangelis operarÿs,

Amabat ſuauiſſimè Societatem.

quæque ſolennia eius primo loco meminerat: item ferè in ſanctorum anniuerſariis, qui religioſas familias condidiſſent: illud inter cætera orans, vt Societas ſecundum voluntatem Dei,& Chriſti Ieſu ipſis benè iuuantibus Religionum Parentibus ſic virtute, numeroque augeſceret, vt aliquid laboris,opiſque ad omnes ordines vel reſtituendos,vel conſeruandos cõferre poſſet:quos quidem ſic reparari omnes,ac florere ipſe cupiebat, vt cunctis ſedibus, cænobiis, & Monaſteriis priſca ſua dignitas, ac celebritas redderetur. Subiit aliquãdo timor, ne qua cuiuſpiã in ſeculo præſertim grauia admiſſa ſcelera toti obeſſent corpori,vt propter ea quicquam Societati calamitatis accideret. Itaque clamare cœpit.Cedant, Domine,cedant non proſperè quæcumque honori tuo, & animarum ſaluti contraria vnquam attentauerimus: in his autem, quæ bona fuerint, & ad pietatis ædificationem, ô Deus ne quæſo memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Tàm timida ſeu potiùs tam prouida mater eſt charitas.

CAPVT. XXV.

Religioſæ diſciplinæ cuſtodia qualis in Fabro.

HActenus de prudentia. Reſtat religioſę diſciplinæ cuſtodia,quod erat poſtremo loco poſitum, non minore admiratione digna, quàm enumeratæ iam laudes.Habet enim admirationem, eum, qui ſemper ſit verſatus in aulis, ſemper in cœtibus liberæ multitudinis, religioſæ tamen vitæ mores, & inſtituta perinde coluiſſe, quaſi nũquàm è domeſtica diſciplinumquam pedem è clauſtris extuliſſet. Omnis autem diſciplinæ ratio, ſoluendis, quæ nuncupata ſunt, votis,maximè continetur. Huc leges vniuerſæ, huc mores ſpectant: vt tripartita illa votorum varietas ſemper intacta, & illibata ſeruetur. Quæ quanta fide reddiderit Faber cum breuitate iam ſequar. Ac Paupertatem quidem habuit in amoribus, & in theſauris multo magis, quàm aurum, & Topazion plerique mortalium. Sanè ea fuit patientia paupertatis ornatus, vt, cum pro more Societatis loco nullo cõſiſteret;nec certas initio ſedes Societas, vſpiam haberet,numquam tamen aut valetudinis aut

Paupertatis ſtudium.

maioris

maioris ſui commodi cauſa mutarit hoſpitia:cum tamen in pleriſque quippe ruinoſis, minuſq; ſalubribus valetudo cuiuſque periclitari poſſet,vt interdum neceſſe eſſet ibi capere de nocte quietem,vnde ſyderum ſpectacula,&nocturni cœli paterēt iniuriæ. Nunquam ne in egeſtate quidem oblata munera pro ſuis laboribus,ac vigiliis admiſit; cum tamen id temporis paſſim id à Sacerdotibus iure fieret; non quàm niſi in egenos aliquid ab aliquo poſtulauit. Imo inter initia ſimul ad animarum,& Eccleſiæ cauſas egredi cæpit, quāquam nōdum erat palam aliquid à Societate decretū, nec dum ab ea lex vlla perſcripta proprio tamen ſe Deo voto deuinxit, numquam ſe vel pro Euangelio, Miſſæue ſacrificio,vel pro cognoſcendis,laxādiſque peccatis aliquid acceptutum:ac ne annuis quidem fructibus liberaliter oblatis ſe ſe vſurum, niſi ab eo forte coactum, cui repugnare ſaluo officio, ac religione non poſſet. Hoc ille votum inter inſignia Dei dona connumerat, qui tales ei vias aperiret conſeruandæ,tuendæque paupertatis.Itaque in Caſtellū è Luſitania profectus in aulam Mariæ Luſitani Regis filiæ, quam Hiſpaniarum Principi Philippo in matri

Votum peculiare de paupertate concipit.

in mattrimonio collocatam ſupra diximus, ſui voti memor, quamquam & ſibi, & ſociis quotidianus ex curia commeatus mitteretur, eo tamen recuſato, non niſi tenui, eoque pauperum ritu quæſito ſe aluit. Obrepſerat aliquando repentina quædam animo cogitatio inſtantis ſibi rerum, quæ neceſſitas vitæ requireret, egeſtatis: ea verò ſpecie magnanimus vir, non ſicut quidam, qui laudant abſentem, præſentem horrent paupertatem, deterritus eſt, ſed tanquam amantiſſimæ ſponſæ delectatus aſpectu, magno ſtudio induxit in animum ſe quotãnis rebus omnib. quę præſentem ad victum, & cultum pertinẽt, prorſus exuere: nihil vt ſe ſpoliatius, nihil eſſet egentius. Itaque rogauit ex animo Chriſtum, quem ſuis in altari præſentem intuebatur oculis, vt quandiu vita ſuppeditaret, nullus abiret, aut recurreret annus, quo mens illa pariter non minimum ſemel rediret: vt ſe, ac ſuos rebus planè cunctis ad cultum victumq; ſpectantibus nudaret, perfectiſſimæque expoliationis eius vſurparet experimentum. Illud ſimul Dominum orans, vt lumen aliquod ſuæ mẽti præferret, quo intelligeret ei ne gratum, & è re diuina foret, ſi id ſpõſione voti,

Quotannis omnibus ſe omnino reb. ſpoliaro decernit.

ti,& promiſſi religione ſanciret; hoc eſt vt ſe quotannis cunctis rebus præſentibus, ſpoliaret, & Deo decretam paupertatem ad actionem, & vſum, ea quoque ratione reuocaret. Omnino agnoſcebat iam pridem hoc Dei munus, & hanc ei mentem ferebat acceptam, vt vbicumque terrarũ eſſet, oſtiatim ſibi, quæ ad ſingulas refectiones neceſſarias forent emẽdicare percuperet: ſtudebatque ſolicitus eandem mentem alere, & has ſalubres cogitationes fouere, quibus perinde vteretur, ac rebus ipſis cum re ipſa non poſſet. Cuius actio, exercitatioque adhiberi cum deſiit, ſenſim minui eius putabat amorem, & elangueſcere tantæ virtutis affectum, quia quantum de exercitatione detrahitur, tantum remittitur de amore. Ideo voluntatem, affectumque animi, cum facultas non ſuppeteret, excitabat: bonaſque vt dixi, cogitationes aduocabat, quæ inſtar eſſent actionis, & votę paupertatis quodammodo pabulum.

Dono Dei adſcribebat vt cuperet mẽdicato viuere.

CAPVT XXVI.

Caſtitatis ſtudium.

CAſtitatem verò, quàm iam inde à puero Deo conſecraſſe narrauimus, quanto

quanto ſtudio coluerit, declarat in eius cōmentariis gratiarum apud Deum actio pro flagrantiſſimo eius virtutis amore, & pro eius igniculis puero adhuc iniectis. Quorum eo erat vis acrior in dies, quo magis feruor intendebatur ætatis. Intelligebat nimirum quod in Collationibus Patrum præcipit Abbas Chæræmon. Vt tanto erga acquiſitionem Caſtimoniæ deſiderio, atque amore flammemur, quanto quis pecuniarum cupidiſſimus appetitor, vel qui ſumma bonorum ambitione diſtenditur, vel qui intolerabili pulchræ mulieris amore raptatur, deſideriū ſuum impatientiſſimo ardore optat expleri:& ita fieri, vt dum pro integritatis perpetuitate inſatiabili cupiditate ſuccendimur, deſiderabilis deſpiciatur cibus, neceſſarius horreat potus, ſomnus denique ipſe naturæ debitus reſpuatur. Auebat prorſus non animam modo, ſed & corpus ſuum fieri ſancti Spiritus domicilium, vt in eo, ſicut in Tēplo ſuo, diuina bonitas habitaret,& in ipſo corpore gratam ſibi,& conuenientem ſedem boni Angeli inuenirent. Itaq; orabat, vt boni Spiritus penitùs permearent, ac poſſiderent animales, vitaleſque Spiritus corporis ſui: mali verò ac rebelles

Coll. 12. c. 4.

Volebat non modo animum ſed & corpus ſuum fieri Spiritus ſancti domicilium.

Angeli faceſſerent: nec quicquam in iis locis ſibi vendicarent. Declarabant item caſtitatis ſtudium Angelorum implorata præſidia, præſertim eius, cuius cuſtodiæ creditum ſe credebat: adhibitæque crebro preces ad obtinendam ſanctimoniam, & cohibendum Angelum ſatanæ, quem perpetuam ad pugnam ſibi datum, facultatemque virtutis, & ad obtundendos potiſſimùm gloriæ ſtimulos iam pridem ſenſerat. In hoſpitiis, domibuſque recentibus vicinorum omnium Angelos inuocabat, vt omnes veluti facta manu contra ſalaces Spiritus opem ferrent. Noctu cubitum cum diſcederet armabat ſe perattentè ſanctæ crucis inſignibus, pieque ad Deum verba illa fundebat. Hoſtem repellas longius, pacemque dones protinus. Et illa, Procul recedant ſomnia. Hoſtemque noſtrum comprime. Et ad Deiparam item illa. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos. Sentiebat enim principes tenebrarum in tenebris maximè dominari. Quòd etiam obſeruatum videmus à Climaco, qui hinc efficit oportere cum ſopori nos damus, cum maximè ſobrios eſſe, animoque peruigiles. Sanè Faber cum in hoſpitio garrientes aliquos aliquando, dum ſe quieti traderent,

Implorabat Angelorum patrocinia.

gr. 15.

traderent, audiſſet, indoluit, quod animis ſic affecti proficiſcerentur ad ſomnum; nec ſolita ſeſe in hoſtes precatione munirent; qui cum omni tempore nos oppugnent ac petant, tum eo maximè, cum ipſi nos tutari aduerſus eos ſomno oppreſſi, & cuſtodia deſtituſi non poſſumus. Eodem caſtimoniæ ſtudio induxit in animum temperatiſſimis eſcis, & potionibus vti, ne quis aditus in corpus ſuum malis Angelis pateſieret, ſi immoderato raro potu, atque paſtu obſtupefactam deprehenderent mentẽ. Venit in manus epiſtola quædá Carthuſiani cuiuſdam Prioris Treuirẽſis ad Colonienſem ex eadem familia Priorem, in qua cum aliàs Fabri laudes breuiter attingit, tum in capiendo cibo potioneque moderationem. ſed ad hác temperantiam non ſine extrema peruenit inedia. Vt enim apud eum ſcriptum eſt, nimias gutturis, ac ventris appetitiones perpetua illa ſex dierum inedia, quam ſuprà memorauimus, Deo adiuuante, ſic obtudit, vt non multum ei negotij domita iam gula faceſſeret. Sed non victus modo tenuitate poſtea, moderatiſque ieiuniis, ſed multo etiam magis laboribus, ac vigiliis corpus ſuum ſtrenuus athleta ſubegit: inhu

Temperãtia & ſobrietas.

lib. 1. c. 3.

inhumanus prorſus aduerſus illud, adeoq; non obſequens, nec indulgens, vt id frequenter in morbum nimio labore defluxerit: cumque veniret in mentem noſtros animos multo citius, quàm corpora ſuam beatitudinem adepturos, & illos eſſe poſſe ſine horum Societate beatos, imo tales citò re ipſa fore, iacentibus adhuc ſua in humilitate corporibus, ſpernebat eo magis corpuſculum ſuum, & ab eius indulgentia, obſequioq; diſcedebat. Quid de cōtinendis in officio ſuis ſenſibus dicam, quæ quaſi feneſtræ ſunt animi, per quas mors intrat? Ille verò eos ita regebat, ac gubernabat, nihil vt in eo fluxum, nihil ſolutum nihil non ad modeſtiam, diſciplinamque compoſitum cerni poſſit. Nam vt de eo Caniſius loquitur, in more habuit modeſtè ambulare per vicos, & ad præſentium ædificationem ſe diligenter componere. Agebatur dies Præſentationis Deiparæ ſacer, cum ille in gratiam tantæ Virginis hanc ſuis oculis legem indixit, vt non ab ætate grandiore modo, verumetiam à puſionibus, ac puellulis aſpectū omnem, tametſi ſpectandi mens eſſet optima, cohiberet: gnarus nempe illius præcepti, ſententiæq; Gregorij. Vnum illum turpes in actiones,

Senſuum cuſtodia.

prauaſque non labi, qui ſibi & in rectis, honeſtiſque didicerit temperare, quamquam oculus eius nuſquam auolans: & quod non mediocri laudi inter ſapientes

In Vita Mal. ducitur, teſte D. Bernardo, ſtudio cohibitus intra ſe, virtuti, non leuitati, neceſſitati non curioſitati parens. Nã cum incidiſſet occaſio Nobiliũ quandã ſpectãdi põpam,

lib. p. c. 18. vt ſuprà retulimus vt ad Chriſti Domini in cruce pendentis lõgè melius, nobiliuſque ſpectaculum oculos ſuos, mentemq; tranſtulerit. Sed ad tuendum Caſtitatis decus, nihil tam proderat Fabro, quàm aſſiduæ precationis ſtudium, & pietatis ardor: vt vſu ſuo didiciſſe videretur, quod ex præceptis ſanctorum Patrum memoriæ pro-

Coll. 13. c. 5. didit Caſſianus. Circunciſionem noſtram quæ in ſpiritu eſt (hoc enim nomine caſtitatem autor ille deſcribit) his ineſſe duntaxat, qui Deo tota ſpiritus deuotione deſeruiunt. Atque haud ſcio an ex ipſo caſtimoniæ certamine, atque pugna tanto

Coll. 4. c. 16. acrius in Fabro pietas, & flagrans Dei cultus exarſerit. Eſſemus enim abſque remedio tepidi, vt apud eũdem Caſſianũ diſputat Abbas Daniel, vt pote non habẽtes indicem negligentiæ noſtræ, vel in corpore noſtro, aut in conſcientiis propriis inſidentem

dentem: nec ſtuderemus ad perfectionis peruenire feruorem, niſi nos titillatio carnis increſcens humiliaret, atque retunderet. Sed, vt cetera ſilentio prætercam aureũ certè ad tenendam caſtitatis gloriã Fabri præceptum omni commemoratione dignũ non prætcribo, quod eo magis in noſtris efflagitatur hominib. quo crebriores illi, longioreſque toto terrarum orbe peregrinationes animorum cauſa ſuſcipiunt. Id autẽ eſt cunctis vt in hoſpitiis, ac diuerſoriis, vbi nulla non pericula ex omni hominum genere, ſexuque ſtruuntur pudicis ac caſtis: ſimul ex Chriſti præcepto pacem hoſpiti dederint, profiteantur liberè pietatem, profiteantur veritatem, tum piis de Deo ſermonibus inferendis, tum religionis colendis officiis: vt dum famæ ſeruiũt, ceteroſq; à flagitio ſuæ probitatis opinione coërcent, vna, eademq; opera, & pudori ſuo cõſulant, & alieno. Nihil enim ita nos continet in officio, vt edita iam virtutis exempla: nihil ita petulantiam hominum frangit, reprimit impudentiam, cupiditates imminuit, vt ſobrij hominis, & temperantis aſpectus. Ea de cauſa Faber iure quoſdam non tam re, quàm nomine religioſos accuſat, quod non ſine Diaboli

Singulare caſtitatis præceptũ.

fraude in hunc rapiantur errorem, vt pudeat coram iis, quibus cum agunt liberè profiteri, quod ſunt: quo liberius illi quicquid collibitum fuerit, in aures caſtas eructent. Ipſe verò iam inde à principio imperauerat ſibi, ne quid in conuentu hominum conniueret, ne quid diſſimularet: ſed perpetuis de Deo, deque virtute colloquiis, quid profiteretur, oſtenderet: vt nemo ſe præſente auderet, aut minus aliquid pudenter facere, aut mollem aliquē, & delicatum inferre ſermonem.

Capvt XXVII.

Obedientiæ ſtudium.

Atque hæc in Fabro vt pauca de multis veræ caſtitatis indicia. Sequuntur obedientiæ, qua vel maximè religioſæ vitæ ratio, & diſciplina perficitur. Cuius laudis gloriæque ſingularis quamquam multa illa quidem documenta non extant, cum domó Faber ſemper abfuerit, & omne eius induſtriæ curriculum in imperatis itineribus elaboratum ſit; nonnulla tamen, ex quibus inflammata eius in obtemperando voluntas perſpici poteſt, Sanè luculenta non deſunt. Quamquam ſatis in tali viro, cuius præibant vocibus facta,

facta, quæ interdum de obedientia diſputat, qualis ipſe eſſet oſtendunt. Eius quodam loco nobile hoc præceptum eſt. Qui, inquit, aliena ſub poteſtate militare obedienter velit, is totum ſe, cunctaſque ſuas actiones, atque omnem agendi viam, modumque ſuum ad voluntatem, ac iudiciũ imperantis accõmodet: ad illam ſe exigat formam: ex eo ſe, cui iudicandum & erudiendum tradidit, metiatur. Pro nihilo putet ceteris placere vniuerſis hominibus, atque in pretio eſſe: niſi & Patri ſuo, arbitroque in Chriſto Ieſu probetur Conſiderans idem Apoſtoli vocem, qua theſaurizare filiis parentes affirmat, ex hoc quoq; capite conſolabatur obedientes, qui interdum miniſteriis addicuntur, in quibus non magna datur facultas rerum ſpiritualium tractatione theſauros opimos quærendi. Iubebat enim id curare modo, vt ſe bonos ipſi, obſequenteſq; præſtarẽt filios, de cetero ſcirent, theſauros, quos ordinum parentes, aliique congeſſiſſent patres, ſibi eſſe repoſitos. Qui verò præeſſent, eos volebat ea ſimul ad omnem proficiendi conatum extimulari cura, quod ipſorum eſſet officij, non ſibi tantùm, ſed & filiis, alumniſque ſuis conflare theſauros, ac re-

Veri obedientis forma.

ponere. Quicumque autem alienæ ſubiacent poteſtati, cupiebat humilitatis, & patientiæ, & charitatis eò proficere ad ferendos, honorandoſque ex animo Præſides, vt in iis quamquam improbis, non niſi ad bona, ſi quæ haberent, oculos, ac ſtudium aduerterent. Quoque longiùs viderentur, qui imperant, à virtute abeſſe loco ſuo cōſentanea, hoc parētibus acrius enitendum cenſebat, vt ipſi ſe diuini amoris, timoriſque reſpectu in ſtatu ſuo perficerent, diligentia, fidelitate, alacritate obſequij. Nam ita demùm, vbi ſe gratos ipſi Deo efficerēt, dignos fore, quibus & Præſides boni concederentur. Quod ſi ſecus fiat, dum neque ſuperiores cōmuni, ſummoque Domino, neque inferiores rectè ſubduntur, neque illos ſubiectis, neque hos præfectis melioribus eſſe dignos. Atque hunc animi ſui ſenſum non modo cætibus religioſis, ſed etiam populari multitudini inculcandum de ſuggeſtis magnopere exiſtimabat, vt Deus mitteret Paſtores ſecundum cor ſuum, vbi populi ſe obſeruantia, ſubmiſſione, & obedientia debita dignos eò bono reddidiſſent. Paucos autem aiebat eſſe, qui quotidianis in obſequiis, totoque obedientiæ munere verè,

Obedientia impetrat à Deo bonos Præſides.

& ex animo Præpoſitos ſuos vererentur, ac colerent : quod vt admodum rarùm, ſic ei maximè cordi fuit. Palàm profitebatur, & prædicabat, ſe quicquid eſſet, eſſe opus Ignatij : & Deo grates agebat, quod ſingularem quandam ſibi fiduciam in precibus eius dediſſet reponere, vt per eum, à quo informatus eſſet, adiiciendam ſibi & perfectionem crederet. Declarabat hunc animi ſenſum, & ſummæ reuerentiæ cultum acris eius in obſeruandis Ignatij nutibus vigilantia, & admirabilis quædam in obtemperando celeritas. Vix enim aut ſuo aut Põtificis nomine B. Pater iter aliquod imperauerat, cum Faber ſine vlla recuſatione parebat etiam tum, cum recuſandi locus eſſet: ſiue quia repentinus ex aliqua regione diſceſſus ſpem omnem fructus, & factæ iam ſementis extingueret : ſiue quia præteritis iam morbis valetudo tentata vocaretur in apertum, nouumque diſcrimen, ſi laborioſis ac longis itineribus ſe committeret. Strenuè tum Coloniæ pro re Catholica laborabat, cum iuſſus eſt in Luſitaniam, vt ſuprà demonſtrauimus, proficiſci. Nauabat Eccleſiæ illi iam propè nutanti ſtudium ſuum magna cum ſpe: metuebat, ſi diſcederet ſuorum reliquiis,

Fabri ad uerſus Patrẽ Ignatium obſeruãtia, & obſequium.

lib. 1. c. 14. & 17

ne dilaberentur in dies, & quæ præclare iam cœperãt,euaneſcerent. Et tamen is ad Ignatij nutum ſemel atque iterum alieno tempore Coloniam deſeruit,&velut oblitus præſentiſſimi fructus Luſitanæ peregrinationi ſe dedit: Vt torqueretur dolore Iaius, cum de eius profectione cognouit: nec continere ſe poſſet,quin Ignatium per literas admoneret,quanta cum Germaniæ plaga homo tam frugifer inde recederet. Quin & Apoſtolicus nũtius Pogius,illius Eccleſiæ tempora miſeratus datis ad Pontificem maximum literis, eum ex itinere longo interuallo reuocauit:adeo neceſſariam in ea vrbe Fabri operam exiſtimauit. Et tamen in tanta neceſſitate Faber ipſe nullum ea de re verbum, niſi quod Pogij conſilia Ignatio nuntiauit. Non enumerauit ſui diſceſſus incommoda, non apertas ruinas Antiſtitis,non præſentiſſimam religionis labem,non perſpicua tot animarum pericula, nihil denique ſe interpoſuit, ne quid de obſequendi ſtudio,& obedientiæ perfectione decederet. Negabat enim ei, qui obedientiæ gloria ſtudet excellere expectandum eſſe.dum ad id, quod imperatur,caritate, aut fructu aliquo maiore ducatur;ſed quacumque in re,quæ legi diui-

Quanti faceret Faber obedientiam cæcam.

næ

næ non aduerſetur, cœco quodam impetu æquè parendum. Quod ſi eius, qui paret animus charitate incēſus ad rem aliquam rapiatur inſignis vtilitatis,ac fructus, tum reputandum cum animo ſuo eſſe, non idcirco votum obedientiæ ſuſcipi, vt bonum illud, fructuſque gignatur,ſed vt obtemperetur homini propter Deum:neque nos voto vllo adſtringi, vt ad ſalutē multos arbitratu noſtro, & pro voluntate vocemus,ſed vt dicto ſimus audiētes, & imperata faciámus. Quoties ciuitates,& Magiſtratus ; quoties earum Præſules, atque Proceres & ad Ignatium,& ad Pontificem ardentes literas, ne Faber ab ſe recederet, Fabro tacēte, dederunt! Alij Romam vſq; mittebant voces, & res ipſæ ſæpè clamabant, & vnus tacebat ipſe. Nouerat quippe quas partes ageret : meminerat quam ſuſtineret perſonam obtemperantis, non imperantis,manus ſuas vertentis ad opus, non genus operis expendentis. Malebatq; quod ſuum erat, cæco quodam obedientiæ impetu eo ferri, quo vocabatur, quam ſua interponenda ſententia. Præpoſitorum morari iuſſa. Nempe hæc erat conſuetudo maiorum, hic poſteritati mos traditus, vt, quamuis eſſent iuſtæ recuſandi

Mira eius obediētia in inſiſtēdis itineribus imperatis

cauſæ, fieretque cauſas ipſas exponendi poteſtas, quicquid tamen imperatum eſſet, ſine recuſatione perficeretur. Nec memini vnquam ſocietatis in actis, literiſque me legere, ne apud Polancum quidem religioſiſſimum noſtrarũ rerum authorem, ex iis veteribus quemquam, cui, cum eſſet imperata profectio, excuſationibus vteretur. Et tamen iter pedites faciebant Apoſtolorum more, per loca ſæpè inimica virtuti, & qua rara veniebat obuiam miſericordia Viatori. Nec deerant, inquam, ſæpè cauſę, eæque iuſtiſſimæ cur imperatum iter abnuerent, ſi eas liberet afferre. Sed videlicet intelligebãt in iis afferendis, exponẽdiſq; maximas plerumq; latere fraudes: ſępè diuini obſequij nomine obſequiũ noſtrum: Sæpè animas quærẽdi ſpecie, cõmodũ noſtrum, otiumque prætexi: omninóque cauſas habere ſemper in promptu, cur loco ne te moueas, id ſuſpicionẽ magnam facere, aut inertis cuiuſdam languoris, aut acrioris alicuius cupiditatis, qua tenearis obſtrictus. Nam qui auulſus eſt à rebus humanis, nullo loco affixus eſt: quocumque mittas euolat, quocumque ducas ſequitur. Cupiditatem ſi exemeris, omnis mutatio loci iucunda fiet, omnis

pere

peregrinatio ſuauis. Itaque tergiuerſationes excuſationeſque, ſi verùm quærimus, nihil aliud eſſe cenſebant, niſi religioſæ obedientiæ venenum,& iis obedientiæ vires,& artus ipſos elidi. Redeo ad Fabrum, quem ad vrbem ex Hiſpania vocatum, ne fractæ quidem ſuperiore morbo vires ab imperato itinere deterrere potuerunt. Ægrotauerat ex curiæ laboribus grauiter Barcinone,nec dum vires confirmauerat: ac ne reliquias quidem morbi ſatis abſterſerat, cum æſtiuos inter ardores longum iter ad Vrbem aggreditur.Exquireret hic alius, vt humanæ prudentiæ ſatisfaceret, Medicorum fortaſſe conſilium:vires ſuas etiam atque etiam expenderet:in dubium vocaret iter, ne vocaret ſalutem. At ille magis obedientiæ periculum, quàm valetudinis reformidans Medicis non adhibitis,nec ſuæ memor infirmitatis,imbecillitatiſque nihil hæſitans, nihil dubitans, ſed prudenter imprudens, & ſapienter inſipiens itineri ſe committit. Agebat eum Spiritus Dei cum flacceſceret Spiritus carnis, & infeſti ſideris inter ardores trahebat intra vrbem, quo id temporis funeſtiſſimus eſt ingreſſus, ſuum penè cadauer:dulciſſimos fratres, & amantiſſimum

Obedientiā Faber ſaluti corporis anteponit.

parteu

parentem Ignatium longo interuallo, ſed breui gaudio reuiſurus. Quippè paucos intra dies, acerbo funere, de quo plura nos ſupra, elatus eſt. Cuius vitæ breuitas poſterorum vtique ſtudia defraudauit, ad quos multo auctior, locupletiorque peruenire diuturnitate poterat viri virtus. Nam ſi modicæ vitæ finibus annorum quadraginta tanta ſe vbertate profudit, quãta tandem ad eam acceſſio facta eſſet, ſi vitæ diuturnitas acceſſiſſet.

CAPVT XXVIII.

Opinio virtutis Fabri & ſumma rerum ab eo geſtarum.

Eius obedientiæ præmium diuinitùs reuelatur.

MOrtui merita, ingens haud dubiè in peramœna illa regione viuorum inſequutum eſt gloriæ pondus. Teſtabantur ſinceriſſimæ Andreæ Ouiedi literæ viri grauiſſimi, atque ſanctiſſimi, qui ad Ignatium ſcripſit Gandiæ perſonam apprimè ſanctum, & Dei Spiritu mirè præditam, Fabri poſt obitum confirmaſſe, indicatam ſibi fuiſſe diuinitùs admirabilem eius gloriam, ab eoque ſe audiuiſſe, cum lætiſſimus ſæpius diceret, ſe obedientiæ nomine mortem oppetiuiſſe, ac multa narraret de gaudio, quo propter genus

mortis

mortis in beatis illis ſedibus frueretur. Gandienſes autem nuntio migrationis accepto,publica gratulatione,lætitiaque diē illum , tanquam eius celebraſſe natalem; & tanti viri patrocinio nixos mirificos in pietate fructus, & progreſſiones deinceps expertos. Socios autem de eius tutela proprio illo ſpem nomine hauſiſſe, quod ipſe Collegij illius fundamenta poſſuiſſet. Et Ouiedus quidem ita in poſterum, eum coluit,vt in Vrbem quotannis,nouo ineunte anno ad B.Ignatium mittere,dum Gandię fuit, cereum conſueuerit,rogans vt tumulo Fabri;quem Beatum appellabat, imponeretur ardens,lumen vt ille ſibi diuinum à Patre luminum impetraret. Quanto verò & domeſticorum , & eorum omnium, qui eum nouerant deſiderio, moeroreque deceſſerit, facile coniiciat quiſquis ea,quę & hoc, & ſuperiore de eo ſcripta ſunt libro memoria repetat. Quamquam enim lenire luctum,mœroremque poterat, propoſita antè oculos mortui quies , æternitas præmiorum,patrocinium ſupplicantis, ſpes ſimilis gloriæ ; tamen domeſticis quidem,& iis,qui familiam hanc cum Fabro fundarunt,tanti viri obitus , quem ſecundum Ignatium plurimi faciebant, quem

Domeſticorum dolor ex morte Fabri.

Ignatio

Ignatio ipſi præ ceteris carum, & ab eo primum in Domino genitum non ignorabant, quem eo in Hiſpanias ad ſua, ſuorumque conficienda negotia profectò, Patrem ſuum olim, cuſtodemque meminerant; cui denique ſecundas, & proximas in comitiis Generaliis præpoſiti detulerant, non poterat non acerbus, & immaturus videri. Amiſerant iam Codurium aliquot annis antè, & hunc inſuper de ſuo numero tolli, id eis duplicabat mœrorem, luctum cumulabat; Sentiebant quem ſocium amitterent, quàm nauum, quàm induſtrium, quàm & in re tuenda Catholica, & in propaganda Societate ſolertem. Audierant quæ, & quanta in Germania, Belgio, Hiſpania, aliiſque Europæ partibus, quo primus Societatem intulerat, pro re diuina geſſiſſet; veniebat in mentem, quàm adhuc multa per ætatem poſſet generere. Quantum Oecumenico Concilio, quò mittebatur, vtilitatis, ac boni, quantum vna cum ceteris Patribus ſodalibus ſuis, Societati decoris, ac ſplendoris afferre. Nec minor vis mœroris exteras gentes, *Dolor externorũ.* ac Ciuitates apud quas in animorum cauſa laborauerat, occupauit. Meminerat Parma, qualem ſe Fabri quondam deprehendiſſet

hendiſſet aduentus, qualem diſceſſus reliquiſſet:hoc eſt quam ſui diſſimilem.quàm mutatis in melius moribus, quàm alia facie atque forma, & iure luctum eo ſibi erepto, ſuſcipiebat. Recordabatur Vvormatia, Spira, Ratisbona, & tota Cæſaris curia, quantum ille ſibi gloriæ rebus pro religione geſtis, & animorum defenſione comparaſſet. Quanta ad eum nationum varietas, velut ad Patrem vniuerſorum, doctoremque concurreret. Deguſtauerat mores eius ſuauiſſimos aliquando Moguntia, cuius Antiſtes,& Cardinalis ampliſſimus virtutem,& eruditionem hominis vnicè diligebat. Senſerat eius opem propè iam deficiens,& nutabunda turpiſſima defectione Paſtoris Colonia. Detinuerat prætereuntem ad Hiſpanos, Luſitanoſque Louanium,& inter morbi curas, quo multos ad menſes conflictatus eſt, præſtantes ab eo curationes animorum, & medicinas accepit. Habuerat illum apud ſe magno ſuo commodo bis Hiſpania. Gaudebāt eius fructu laborum Barcino,Cæſarauguſta, Mediolum, Siguntum, Complutum, Madritum, Valliſoletum, denique,& ipſa Principis aula, cui fuerat & agendi prudentia, & vitæ ſanctitate, &

morum

morum comitate percarus. Acceperat eum Luſitania ſumma omnium ordinum omniumque procerum voluntate:nec niſi diu poſt ægra, & inuita demiſit. Poſtulauerat eum Rex, vt ſuprà demonſtrauimus in Aethiopicam expeditionem. Iure igitur tot Ciuitates; atque nationes dolebant,iure querebantur, iure tantam virtutem, quàm dudum incolumem viderant, ereptam ex oculis,requirebant. Sed dolorem perſpecta viri merita mitigabant,quę humili excitatum è terra ſideribus intuliſſent. Memorabant vrbes ſingulæ, quam multis ille apud ſe promeritis viam ad ea ſibi gaudia muniiſſet, quantam vim animarum Deo peperiſſet, quam multis cælum recuperaſſet amiſſum, quam ſæpè ſua præda Tartarum,ſuis rapinis ſatanam ſpoliaſſet.Quanta eum cum hæreſum immanitate pugna,quanta cum vitiorum monſtris dimicatio fuiſſet. Quot facinoroſos ad frugem, quot impudicos ad verecundiam,quot iratos ad pacē, quot corruptis moribus Sacerdotes ad ſanctimoniam, quot Collegia, quot clauſtra reduxiſſet ad formam veteris diſciplinæ.Quàm multis locis clerum, quàm multis pios hominum cætus,ac ſodalitia conformaſſet, inſtituiſ-

ſtituiſſet,condidiſſet. Quàm crebro Parochis,& curionibus,quàm frequenter Epiſcopis,& Paſtoribus, vt ſuis præeſſent ritè muneribus,affuiſſet. Quàm multis demq; religioſæ vitæ ſemitas oſtendiſſet,& è mediis humanæ vitæ fluctibus, ac periculis in tutiſſimum Religionis portum, ſinumque compuliſſet. Hæc,& ſimilia nonne fidem facerent optimè, iam actum eſſe cum Fabro? Nonne ſatis perſuaderent, merita illũ iam gloria donatum? præcipuis inter Beatos honoribus decoratum? vt nullus eſſet mœrori iam locus,nulla cauſa lacrymarũ: ſed omnia gratulatio,omnia gaudium occuparet, quoniam nouus ei patronus acceſſiſſet in cælo, qui magiſter ac doctor deceſſiſſet in terra. Quod ſi patroni iam partes cum hic ageret inchoauit, ſi tot lacrymis,ac ſuſpiriis, tot ſanctorum implorationibus,& obſecrationibus,tot vigiliis, precibuſque nocturnis,tot hoſtiis,ac ſacrificiis placare cæleſte numen ſtudebat hominibus: ſi propulſare pericula, ſi ſubleuare calamitates,ſi ſolari triſtitiam,ſi temperare ſingultus, quanto tandem vberius, & accuratius has partes ageret,& expleret corporis vinculis relaxatus, & tranſlatus ad Deum. Non minuitur in Beatis chari-

tas,ſed acuitur:nec roboris eſt minoris intenta cominus ſupplicatio, cui pondus adiicit tot Beatorum, ac Cælitum ſuffragatio. Sanè Xauerius noſter,tanta virtute, & ſanctitate præditus, quantum in Fabro iam vita functo reponeret ſpei, quantum fiduciæ collocaret,indicat eius ad Romanam Societatẽ epiſtola,in qua ſcribit ſe ad iram Dei leniendam, cum ſæuiret in mari tempeſtas, imploraſſe ſuperos omnes, ac præcipuè Fabrum cum ceteris noſtris. Siquis autem quærat, vt hoc poſtremo loco memorem, non in poſtremis habendum, quibus ab initiis tanta Fabri profecta ſit ſanctitas,exponam breuiter quod à ſenioribus audiui, cum Fabri quaſi gradus, atq; proceſſus ex ore Araozij viri grauiſſimi, quem in Hiſpania,Curiaque Principis diu fuiſſe cum Fabro ſupra demonſtrauimus, mirarentur. Experientiſſimum multorum doctorem à Deo datum Ignatium,perſpecta huius propẽſione diſcipuli,non ei continuo meditandi cõtemplandique diuina myſteria vias,vt aliis cõſueuerat, tradidiſſe:ſed eum potiùs quaſi primis quibuſdam rudimentis, ac tyrocinio in recognoſcendis ſuis quotidiè dictis,factis,cogitatis:perpendendiſque diligentiſſimè : momentis officiorum

B.Xaueríj de Fabro iudicium.

Qua ratione ad tantam perfectionem Faber ab Ignatio eruditus.

officiorum omnium, toto exercuiſſe biennio. Deinde docuiſſe aduerſus eas animi prauitates, procliuitateſque vitiorum excubare potiſſimùm, quæ maximè viderentur infeſtæ: inito certamine, non cum vniuerſis, aut multis, ſed cũ ſingulis, aut paucis: & cùm ea præcipuè, id quod etiam in Collationibus Patrum admonet Abbas Serapion, quę principatum ſibi in eius animo vendicaret. Eademq; vigilantia præcepiſſe vt totus eſſet in alicuius propriæ, ac ſingularis perſecutione virtutis, cuius vſu, exercitationeque frequenti eius ſibi tandem habitum compararet. Hoc ille poſito fundamento Turrim Euãgelicę perfectionis in eam videlicet altitudinẽ, quam tantopere ſuſpicimus excitauit: & eo virtutibus Faber creuit, quo aſpicere mens humi ſtrata vix poteſt. Addebant autem eam in Hiſpania opinionem de huius virtute viri, & ſanctitate fuiſſe, vt eo è viuis erepto, crederetur eodem caſu interitura Societas. Talis iam, tantuſque diuina gratia comite, diligens ſui pectoris explorator euaſerat.

INDEX CAPITVM, LIBRI PRIORIS, VITÆ PETRI FABRI.

Prior numerus denotat caput, poſterior paginam.

ORtus & educatio Fabri Cap. 1.*p.* 1.
*Pariſios diſcendi ſtudio concedit, & Ignatio ſe regēdum tradit.c.*2.*p.*3.
Statuit ſequi Ignatium in toto vitæ genere.cap. 3.*p.*7.
Factus Sacerdos primos patres ſecundùm Ignatium, plurimum iuuat.c. 4.11
*Peregrinationes Fabri Pariſiis, Venetias inde Roma, ac Venetias rurſum, & aliæ.c.*5.14
Mittitur Parmam cum Lainio, vbi Diuinam rem optimè gerunt, cap. 6. 16
*Præclara monita, quæ Faber Parma in Germaniam proficiſcens Sodalitati charitatis reliquit. cap.*7. 21.
Primus de Societate Faber in Germaniam adit, & optimum eius ſpecimen edit.cap. 8. 28
In creatione Præpoſiti Generalis ſecūdùm Ignatium Faber nominatur & in Hiſpaniam pergit. cap. 9. 34
*Magna pietate ingreſſus in Hiſpaniam, rebus multis præclarè geſtis, per multa pericula Germaniam iuſſus repetit. cap.*10. 38

Spira multa præclarè gerit: deinde Moguntiæ, tum iterum Spiræ. cap. 11. 42
Reuocatur Moguntiam mittendus ad Tridentinum Concilium: quo dilato nauiter Moguntiæ elaborat. cap. 12. 49
Faber Coloniam adit, vbi rem Catholicam periclitantem fulcit. cap. 13. 53
Faber iuſſus in Luſitaniam proficiſci, Louanij morbo tenetur, interimque miras Louanienſibus vtilitates parit. cap. 14. 57
Multis Societate receptis, & aliquot in Luſitaniam miſsis, Faber Pontificis iuſſu redit Coloniam. cap. 15. 65
Egregia Fabri ſtudia in tuenda Coloniæ Catholica fide. cap. 16. 70
Rurſus in Luſitaniam ire iubetur, diſcedenſque Coloniæ ſemen Collegio relinquit. cap. 17. 76
Res à Fabro in Luſitania geſtæ. cap. 18. 80
Facta à Rege Ioanne abeundi parte, Faber ex Luſitania in Caſtellum diſcedit: & vbique magna virtutis exempla, & opera relinquit. cap. 19. 89
Illuſtratur Societas tota Hiſpania Fabri & Araozij præclaris laboribus, & exemplis: & multū pietas publica promouetur. c. 20. 94
Faber Madritum, & ad alia loca excurrit, & Valliſoleti Collegij ponit initia. c. 21. 100.
Rebus optimè geſtis in Hiſpania Romam accitus moritur. c. 22. 108
T 3

INDEX CAPITVM
LIBRI POSTERIORIS
VITÆ PETRI FABRI.

Pietas Fabri, Caput. 1. pagina 111.
Grati animi laus, in Fabro ſingularis. cap. 2. 114
Dei cultus, & rerum ſacrarum veneratio mira in Fabro. caput. 3. 121.
Precationis ſtudium Fabri. cap. 4. 130
Quo ſtudio veneraretur Cæli beatos Ciues. c. 5. 137
Solertia Fabri in Sanctis aptè colendis & inuocandis. cap. 6. 142
Orationis attentio Fabri. cap. 7. 147
Deuotionis ſuauitas in Fabro. cap. 8. 155
In deſolatione, & ariditate quomodo ſe gereret. cap. 9. 161.
Quo pacto ſe in deſolationibus, ac tentationibus, & mæroribus animi ſolaretur. c. 10. 166
Solicitudo & ratio proficiendi. cap. 11. 171
Humilitas Fabri. cap. 12. 177
Charitas Fabri. cap. 13. 185
Patientia Fabri. cap. 14. 187
Benignitas. Fabri cap. 15. 199
Conſolandi proximos ſtudium. cap. 16. 201

Studium

Studium in Fabro proximorum calamitates, orationibus leuandi. cap. 17. 207
Prudentia Fabri. cap. 18. 215
Fabri prudentia in iuuandis proximis, cõcione, & exercitiis ſpiritualibus. cap. 19. 224
Diſcretio Spirituum in Fabro, & peritia curandorum animorum. cap. 20. 229
Hæreticorum Sanandorum ratio. cap. 21. 234
Agendi ratio cum iis qui emerſiſſent è vitiis. cap. 22. 244
Cum imperfectioribus qua agendi ratione vteretur. cap. 23. 248
Scholaſticos Societatis quales expeteret, & quales operarios. cap. 24. 258.
Religioſæ diſciplinæ cuſtodia qualis in Fabro cap. 25. 266
Caſtitatis ſtudium cap. 26. 269
Obedientiæ ſtudium. cap. 27. 276
Opinio virtutis Fabri & ſumma rerum ab eo geſtarum. cap. 28. 284

FINIS.

1011.c1.6